Verùm & quoad hoc caput fortasse satius esset nihil generaliter respondere, sed tantùm perspectis qualitatibus cujusque Ecclesiæ post dictam erectionem constructæ, A quo sint dotatæ? An sint ejusdem, vel alterius speciei? An observantia suffragetur Episcopo, vel Præposito? Et similia ad genus juxta decisionem Rotæ 17. *jur* 2. *diversor.*

22 Ita glossa in verbo *abjurasse*: nota ex hac glossa & ex textu, factum Prælati non præjudicare Ecclesiæ, nihilominùs juramentum præstitum à Prælato servandum esse

23 contra id quod habetur *in cap. sicut*, *il primò suprà de jurejurando*, ubi dicitur non juramenta, sed perjuria potiùs esse dicenda, quæ contra utilitatem Ecclesiasticam attentantur, *c. Pervenit*, *il. primò eodem titulo*, *cap. si quis Presbiterorum de rebus Eccles. non alien.* sed qualiter hoc sit intelligendum, declarabitur in sequenti quæstione, Præsertim *n.* 18.

24 Supposità declaratione Sacræ Congregationis Concilii, quæ censuit privilegia Capitulo & Decano Ecclesiæ Collegiatæ Antuerpiensis concessa esse revocata per ejus erectionem in Cathedralem; itemque supposito præsentis Episcopi

25 juramento in ea forma cujus exhibetur exemplum: dubitatur an ipsum juramentum obstet Episcopo, quominùs universà jurisdictione Episcopali uti possit contra Decanum & Capitulum; aliasque personas Civitatis Antuerpiensis, contra Capitulum duo præcipuè videntur urgere. Primum, quia cùm privilegia hæc jam essent revocata, juramentum generale Episcopi de servandis privilegiis, ad revocata ex-

26 tendi non debet, Ripa *resp.* 5. *n.* 4. & 5. *lib.* 1. & ad rem facit doctrina Baldi in proœmio feud. *n.* 15. ubi vult, ut si quis juraverit observare Statutum; & illud posteà revocetur, tollatur vinculum juramenti. Secundum,

27 quia Episcopus etiam de consensu Cupituli non potest abdicare à se jurisdictionem in totum, Abb. *in cap. cùm olim*, *il. secondò n.* 4. *de privil.* Felin. *in cap. cùm inter n.* 4. *circa princ.* vers. *In contrarium*, ubi testatur de magis communi *de re judic.* Quòd si juramentum hujusmodi ligaret Episcopum, perindè esset ac si ipse totam jurisdictionem in vita sua alienasset.

Sed his non obstantibus contrarium videtur respondendum, videlicet Episcopum impediri juramento, quominùs possit dum vivit jurisdictionem, quæ ante erectionem Capitulo & Decano Collegiatæ competebat sibi vindicare. Est

28 enim communis conclusio, quando Episcopus juravit in his, quæ sunt separabilia à præjudicio Ecclesiæ, ut sunt jura incorporalia, tenere eum observare juramentum, ac si contra illud velit venire, non esse audiendum, ut post glossam nostram optimè declarat Anton. de Butr. *hic num.* 32. & sa-

29 tis probatur in hac Decretali, ubi Archidiaconus, qui abjuraverat libertates Archidiaconatûs, scilicet institutiones & custodias vacantium Ecclesiarum, non potest eas repetere & contravenire juramento. Et quamvis textus non dicat non posse repetere, cùm tamen dicat Archidiaconum esse conservandum in quasi possessione libertatum, donec probetur ipsum eas abjurasse, necessariò infertur, ut ubi constaret de abjuratione, non esset audiendus contra juramentum, ut hic tradunt omnes Opinionem Butrii sequitur Felinus *in cap. Pervenit*, *il. primo num.* 8. *de jurejur.* ubi eam defendit ab impugnatione Imol, Abbas *hic num.* 16. & 18. Joan. de Salva *in tractat*, *de Jurament. in* 3. *par. in* 1. *quæst. num.* 33. Aretin. *cons.* 114. *num.* 3. quem sequuta est Rota in decisionibus exhibitis coram Seraphino & de grossis, ubi juramen-

30 tum Episcopi in materia visitationis dixit esse servandum, cùm sit separabile à præjudicio Ecclesiæ & durat durante vita Episcopi jurantis. In his enim, quæ sunt Jurisdictionis, fructumque non afferunt, sed sunt solùm honorificentiæ per-

31 sonæ præsidentis, præjudicium Prælati censetur dividuum à præjudicio Ecclesiæ, ut per Butr. *dict. numer.* 32. *vers. Ubi verò præjudicium*, Aretin. *de jure confessioni* & Rota *in eadem decis.* Et hanc doctrinam videntur probasse Patres in

32 Concilio Tridentin. dum decretis *cap.* 4. *sess.* 6. & *cap.* 6. *sess.* 25. in materia visitationis, & privationis Capitularium, sanxerunt juramenta ab Episcopis præstita suos obligare autores. Facit textus *in cap. Per suas ad fin.* ibi: *Ubi juramento suo seirsum personaliter, non Ecclesiam poterat obligare, de arbitr.*

Non obstant adducta in contrarium nam ad primum res-

33 pondetur verum esse, quod dicitur juramentum generale & incertum de observandis statutis non porrigi ad revocata, quia juramentum non porrigitur ad ea, de quibus non est cogitatum, glos. *in cap. penult. in ver. Quod promisit*, *de jurejuran.* jurans autem non censetur cogitasse de statutis revocatis. Cæterùm juramentum, de quo nunc agimus, non est simpliciter generale & incertum de observandis consuetudinibus & privilegiis, sed eo modo, quo Capitulares usi fuerunt tempore Episcoporum Cameracen. & sic refert se Episcopus jurans ad factum & ad usum, quo casu non potest juramentum restringi ad privilegia non revocata, cùm juramentum sit super recerta per relationem ad aliud, quod perindè habetur, ac si esset præstitum super re

34 certa per se, *l. Certum ff. si cert. pet. l. In summa ff. de re judicat.* & ita videtur specialiter jurasse se observaturum hæc & hæc privilegia, exemptiones & consuetudines. Imò hoc casu apertè constat jurantem voluisse se obligare etiam quoad privilegia revocata, quia retulit se ad tempus Episcoporum Cameracen. & sic ad tempus ante revocationem per erectionem, adeò ut videatur jurasse se servaturum privilegia, quibus positum est Capitulum tempore Episcoporum Cameracen. etiamsi hodiè mutato statu abrogata fuerint. Et propterea cessat interpretatio defectus voluntatis in jurante.

Secundò respondetur opinionem Ripæ nulla autoritate ful-

35 ciri; nam Bald. quem citat, loquitur de juramento observationis statuti, quod posteà tollitur & dicit jurantem non teneri ad illud observandum, ut etiam tradunt Doctores *in c.* 1. *de his*, *quæ fiunt à major. part. cap.* Quia juramentum habet tacitam conditionem rebus sic stantibus, *c. Ad naturam*, *il. secundò*, & *c. Quemadmodum*, *de jurejur.* Oldr. *cons.* 241. *factum tale si num.* 2. *vers. Secundò quia de juramentum*, Feder. de Sen. *cons.* 239. *Super* 5. *except. circa med. vers. Et vos scitis* Gemin. *cons.* 84. *Quia istud dubium*, *in fin. vers. Ad illud quod dicitur* Baccor *de jurejur. num.* 126. dicens juramentum superveniente revocatione, & sic statu mutato ampliùs non obligare. At nos loquimur de privilegiis jam revocatis tempore juramenti, in quibus nihil supervenit, quod evincat jurantem.

Ad secundum respondetur primò nos non quærere, an Episcopus potuerit Capitulum à se validè in perpetuum eximere. Quo casu obstaret opinio illa DD. Sed tantùm, an Archiepiscopus, qui juravit, impediatur dum vivit venire contra proprium juramentum. Secundò responde ur nos non versari in alienatione universæ Jurisdictionis, de qua loquuntur DD. ex adverso; quia etsi juramentum servet Episcopus, reliqua tamen ei erit jurisdictio in casibus Decretorum Concilii Tridentini, quos Episcopus in juramento excepit.

DE CONCESSIONE PRÆBENDÆ ET ECCLESIÆ NON VACANTIS,

Ex Concilio Lateranenn.

CAPUT II.

NUlla Ecclesiastica ministeria, seu etiam beneficia, vel Ecclesiæ tribuantur alicui, seu promittantur antequam vacent: Ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum & beneficium se crediderit successurum. Cùm enim in ipsis etiam legibus gentilium inveniatur inhibitum; turpe est, & divini plenum animadversione judicii, si locum in Ecclesia Dei futuræ successionis expectatio habeat, quam ipsi etiam gentiles condemnare curarunt. Cum verò præbendas Ecclesiasticas, seu quælibet officia, in aliqua Ecclesia vacare contingerit, non diu maneant in suspenso, sed infra sex menses personis, quæ dignè administrare valeant, conferantur. Si autem Episcopus, ubi ad eum spectat, conferre distulerit, per Capitulum ordinetur. Quòd si ad Capitulum pertinuerit, & infra præscriptum terminum hoc non fecerit, Episcopus secundum Deum hoc cum religiosorum virorum consilio exequatur, Vel si omnes fortè neglexerint, Metropolitanus de ipsis secundum Deum absque illorum contradictione disponat.

SUMMARIUM.

1 Beneficia non vacantia concedi, vel promitti non debent.
2 Beneficia conferri debent infra sex menses, quibus elapsis de Episcopo ad Capitulum & è converso, & demum ad proximum superiorem collatio devolvitur, & n. 34.
3 Ministeria Ecclesiastica, beneficia, & Ecclesiæ, an & in quo differant.
4 Beneficii vacaturi promissio non valet, nec ullam inducit obligationem.
5 Sive fiat in specie, sive in genere.
6 Beneficium promittens cùm poterit, olim obligabatur, Hodiè secùs.
7 Papa potest tribuere jus in beneficiis vacaturis, & num. 15. & 45.
Declaratur, num. 20. 81. & seqq.
8 Expectativæ, reservationes mentales, & quæcumque gratiæ ad vacatura, & indulta ad alienas Ecclesias ex Concilio Tridentino nemini sunt concedendæ, etiam S. R. E. Cardinalibus.
9 Precum primariarum indultum Imperatori concessum, & à Pio IV. confirmatum est sublatum à Concilio Tridentino, & num. seq.
10 Imperator non comprehenditur in decreto Concilii Tridentini sess. 24. cap. 19.
11 Beneficia vacantia possunt per Prælatum promitti, sed ex hoc non adeò afficitur beneficium, ut annulletur collatio alteri facta.
12 Votum simplex non dirimit secundum solemne.
13 Mortem proximi sperare non licet.
14 Quantò quis est sanctior, tantò faciliùs debet abstinere à promissionibus vacaturorum beneficiorum.
15 Beneficii vacaturi collatio, vel promissio non inducit votum captandæ mortis causaliter, sed occasionaliter. Et ideò Papa potest super hoc dispensare, & n. 18.
16 Canones non dedignantur leges gentilium imitari.
17 In beneficiis Ecclesiasticis expectatio futuræ successionis est contra omnia jura.
19 Utilitas publica prætextu privilegii vacillare non debet.
20 Papa quamvis possit conferre in genere beneficia vacatura, tamen in specie, & ad instantiam certæ personæ conferre non debet, nisi ea ignorante.
21 Diu dictio quod tempus importet.
22 Officia & beneficia conferri debent personis, quæ dignè valeant administrare.
23 Pœna c. Cùm in cunctis, de elect. non habet locum in conferente.
Persona quid sit, ibidem.
24 Beneficium qui distulit conferre ultra sex menses privatur ea vice potestate conferendi.
25 Et tempus sex mensium currit à die scientiæ, nec requiritur monitio.
26 Et moram purgare, aut in integrum restitutionem petere non licet.
27 Item tempus sex mensium est utile in quantùm non currit ignoranti, aut conferre non valenti & num. 33.
28 Sed est continuum in quantùm curr t etiam diebus feriatis.
29 Devolutio potestatis conferendi fit ad superiorem, si is ad quem spectat ultra sex menses conferre neglexerit.
30 Quod procedit in omnibus dignitatibus, officiis & præbendis, dummodò sint distinctæ vel certus numerus sit statutus.
31 Item procedit etiam in Episcopatibus & Abbatiis, sed minùs tempus datur ad eligendum, id est trium mensium.
32 Institutioni faciendæ nullum tempus reperitur à jure præfixum.
33 Devolutionis pœna locum non habet contra eum, qui beneficium non contulit propter impotentiam juris, vel facti etiam culpa contingentem.
34 Devolutio ob negligentiam non conferentis beneficium fit ad proximum superiorem gradatim & quilibet ipsorum habet sex menses ad conferendum.
35 Devolutio potestatis conferendi non fit ad Metropolitanum nisi omnes inferiores infra præscriptum tempus conferre neglexerint.
36 Papa lapso primo semestri statim potest de beneficio providere.
Et illius negligentiam nemo supplet.
37 Papa si beneficium vacans in Curia non conferat infra mensem à die vacationis, Ordinarius confert, ibidem.
38 Legati nati, quamvis possint jurisdictionem exercere in Diœcesibus suffraganeorum suorum, non tamen possunt conferre beneficia ad eorum collationem spectantia nisi post devolutionem.
Legati nati non habent nisi unum semestre ad conferendum beneficia ad se devoluta propter negligentiam inferio-

ceditur, sed ob Ecclesiæ necessitatem, *cap. unic. de Cler. ægrot. lib. 6.* Put. *d. decis.* 226. *numer.* 13. *lib.* 3. Rota *decis.* 114. *num.* 13. *par.* 6. *recent.* Sed hodierna Coadju-
62 toria datur ex gratia & in favorem Coadjutoris & Coadjuti ut patet ex tenore litterarum Apostolicarum & observat Navar. *cons.* 2. *de Cler. ægrot.* & Rota *d. decis.* 392. *n.* 2. *part.* 3. *recentior.* Continet etim duas gratias æque principales, unam in favorem Coadjuti, alteram in favorem Coadjutoris,
63 ut per Put. *decis.* 98. *vers. Fuit tamen resolutum*, *lib.* 2. Differunt quintò, quia Coadjutoria hodierna indistinctè dari solet Canonicis sexagenariis, etiamsi aliàs imbecillitate corporis non sint gravati, ut passim servari videmus, cùm tamen de jure non detur nisi decrepitis, id est annorum septuaginta, vel alio morbo incurabili impeditis officium exercere, *d. c. unic.* §. *Verum*, ubi id notat Franc. *in* 2. *notab.* post Archid. *n.* 6. *de Cler. ægrot. lib.* 6. Anchar. *cons.* 188. incip. *Visis consiliis*, *n.* 7. Differunt sextò, quia jure communi inspecto, Coadjutori datur certa portio ex redditibus beneficii
64 in compensationem laborum, *c. De rectoribus*, *de Cler. ægrot. & d. cap. unic. glos. ult. in fin. in c. ex parte* & Jo. Andr. *in c. fin. in* 10. *membro. n.* 12. *eod. tit.* Put. *decis.* 226. *n.* 13. *lib.* 3. Ad Coadjutor hodiernus nihil percipit. Mehed.
65 *d. decis.* 10. *alias* 36. *de privileg.* & divinis interessendo distributiones non lucratur sibi, sed ad utilitatem Coadjuti absentis. Navarr. *cons.* 2. *n.* 3. *de Cler. ægrot.* & dicitur cessisse Sac. Rituum Congreg. *in causa Communn. cen.* 16. *Septemb.* 1606. *in* 6. *dubio & in Elboracen.* 15. *Aprilis* 1606. & patet ex formula Coadjutoriæ, quam ponit Nicol. Garz. *de benef. part.* 4. *c.* 5. *n.* 54. Et quamvis nonnunquam inter partes aliter conveniatur, regulariter tamen in litteris consuevit apponi clausula infrascripta portionem; videlicet, quia partes ita conveniunt ut Coadjutor non possit petere congruam, nec quidquam exigere quovis titulo ratione Coadjutoriæ, ut refert Garz. *loc. cit. & in Addit sub. n.* 130. *dub.* 36. Differunt septimò, quia licet Coadjutor cum futura succes-
66 sione nullum jus habeat in beneficio, nec respectu tituli, nec respectu possessionis; nihilominùs habet jus quoddam noviter creatum circa facultatem Coadjuvandi, & eit fictus beneficiatus, ut dixit Rot. *supra citata n.* 54. nec revocari potest, Put. *decis.* 98. *lib.* 2. Seraph. *decis.* 1447. *in fin.* At Coadjutor datus secundum formam juris nullum habet jus de novo creatum, sed nudum ministerium manuale, & potest quandocumque amoveri, & alius in ejus locum subrogari, ut per Jo. Andr. *in d. c. fin. in* 11. *membro*, *n.* 13. *de Cler. ægrot.*
67 Ex quibus liquidò constat hodiernas Coadjutorias ferè nullam habere conformitatem cum jure communi. Et hinc resultat alia differentia, quia licet Coadjutoria temporalis in inferioribus Prælatis dari possit ab Ordinario, ad quem spectat destitutio, vel cessionis admissio, ut *c. De rectoribus*, *& c. fin.* ubi hoc tenet Jo. Andr. *in* 5. *membro*, *n.* 7. Abb. *n.* 5. & communiter Doctores, *de Cler. ægrot.* tamen Coadjutoriam perpetuam etiam in beneficiis inferioribus dat solus Papa, qui potest solus contra Canones dispensare, *c. Proposuit*, *in-*
68 *fra eod. c.* 2. *de præb. lib.* 6. & firmat Lambertin. *de jure patr. eod. lib. in* 1. *part.* 2. *libri*, *art.* 20. *n.* 4. & Navarr. *cons.* 1. *de Cler. ægrot.* adeò ut nec dari possit à Legato de latere, ut per Gambar. *de offic. leg. lib.* 5. *in rubr. de Coadjutor.* Gonzal. *ad regul. de mensib. glos.* 5. §. 9. *n.* 91. Flamin. Paris. *de resign. benefic. lib.* 6. *qu.* 5. *n.* 15. *& lib.* 7. *qu.* 20. *n.* 14. & propendit Lambertin. *d. art.* 20. *num.* 5. Hactenus de jure communi.

69 Quòd verò spectat ad Concilium Tridentinum, si illius verba sedulò expendantur, constabit apertissimè Coadjutorias, quæ dantur hodiè cum futura successione in Canonicatibus, & consimilibus benefic is à S. Sinodo esse omninò improbatas, & tantummodo esse permissas ex urgenti causa in Episcopatibus, & Præposituris regularibus juxta distinctionem, quam superiùs adhibui *n.* 47. Nam in decreto *cap.* 7. *sess.* 25. *de refor.* post prohibitum accessum, & regressum ad quodcumque beneficium, primò statuitur regula his verbis, videlicet, *In Coadjutoriis quoque cum futura successione idem post hac observetur, ut nemini in quibuscumque beneficiis*
70 *Ecclesiasticis permittantur.* Et in hac regula dubitandum non est quam præcipuè includatur Summus Pontifex, quia cùm facultas concedendi Coadjutorias cum futura successione ante Concilium Episcopis minimè competeret, ut ostensum est *supra n.* 68. utique frustra Concilium statuisset, ut id eis non permitteretur in futurum per illam dictionem, *posthac*, per quam jus novum statuitur, ut notat glos. in clem. *Eos in ver. Deinceps*, *de Regular.* Ergò necesse est ut mens Concilii fuerit, ut de cætero non permitterentur hujusmodi Coadjutoriæ à Summo Pontifice, cui soli prius erant permissæ ob suæ potestatis plenitudinem, *c. Proposuit infra eod.* Et quamvis Concilium vi coactiva Pontificem Maximum non astringat, *c. Significasti*, & ibi Abb. Antiq. *n.* 2. Abb. Sicul. *n.* 3. & alii communiter *de elect.* eum tamen non comprehendit vi directiva rationis, quia voluntarius debet se illi subjicere, ut est expressum *in c. ult.* §. *His ita*, 25. *quæst.* 1. *& in l. Digna vox C. de l.* & post D. Thomam *in* 1. *part. q.* 96. *art.* 5. *ad* 3. scripsi plenè *in c. Canonum statuta n.* 9. *de constit.* Per hoc enim Concilium indicat Papæ non quid sit possibile sed quid sit honestum & laudabile *c. ul. de rejer. p.* 6 & notat Calder. *cons.* 526. *circa med. alias* 11. *de privileg.* Bald. *in proœm*, *Decretal. in ver. Gregorius*, *n.* 13. Sicut fecit *in c.* 5. *in fine*, *sess.* 24. *de reform. matrim.* dum vetuit in secundo gradu dispensari, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam. Et *in c.* 19. *sess.* 24. dum prohibuit expectativas reservationes mentales & alias quæcumque gratias ad vacatura, etiam in favorem Cardinalium, has enim prohibitiones utique indicavit principaliter Pontifici Maximo, 71
cùm in inferioribus nulla sit potestas in gradibus prohibitis dispensandi, *capite Quod super his de consanguinitate & affinitate.* Nec gratias expectativas concedendi Contra Concilium Lateranense ut hic, *& in c. Dilectus*, *il primo*, *de præb. & in cap. de testanda de concess. præb. lib.* 6. Regula igitur Concilii in præcitato *cap.* 7. *sess.* 25. hæc est, videlicet Coadjutoriæ cum futura successione in quibuscumque beneficiis Ecclesiasticis à Sede Apostolica de cætero nemini permittantur. Ab hac regula immediatè ibi subnectitur exceptio per hæc formalia verba, id est, *Quod quandò Ecclesiæ Cathedralis, aut Monasterii urgens necessitas aut evidens utilitas postulet, Prælato dari Coadjutorem, is non alias cum futura successione detur, quàm hæc causa prius diligentissimè à Sanctiss. Rom. Pontifice sit cognita & qualitates omnes in illo concurrere certum sit, quæ à jure & decretis hujus S. Sinodi in Episcopis & Prælatis requirantur. Aliàs concessiones super his factæ subreptitiæ esse censeantur.* Hæc ibi. Ex quo contextu luce clarius apparet Coadjutorias cum futura successione à S. Sinodo non esse permissas Summo Pontifici quacumque de causa, nisi in Cathedralibus & Monasteriis; nam cùm præmiserit regulam universalem negativam in quibuscumque beneficiis & ab illa exceperit tantùm Cathedrales & Monasteria ex urgenti causa, utique hæc exceptio firmat regulam in contrarium, in Canonicatibus & in aliis beneficiis non exceptis, adeò ut in illis quacumque de causa Coadjutoriæ cum futura successione de cætero à Summo Pontifice nullatenus sint permittendæ, *cap.* ‖*Dominus*, & ibi glos. 32. *qu.* 7. *cap.* 2. *de Conjug. leprosor. l. Nam quod liquidè* §. *fin. in* 1. *resp. ff. de penu leg. cum simul* & ita hodiernam Coadjutoriam dici exorbitantem, quia deviat ab orbita Concil. Trid. *in d. cap.* 7. dicit Mehod. *decis.* 10. *ad fin. de privil. ad gloss. ult. in cap. Quæ à jure*, *de freg. jur. lib.* 6. cum aliis per Menoch. *de recuperan. remed.* 15. *num.* 13. Undè post Concilium nemini fuerunt concessæ usque ad tempora Sixti V. ut attestatur Nicolaus Garzia *de benefic. par.* 4. *cap.* 5. *num.* 23. *&* 24.

Quòd si quæras, cur Concilium illas permiserit tantummodò in Cathedralibus & Monasteriis, non autem in beneficiis inferioribus, Respondebimus, inter hæc magnam esse rationem diversitatis, nam in primo casu cùm Episcopus vel Prælatus propter senium vel ægritudinem redditus est inhabilis ad Pastorale officium exercendum, necessitas cogit ut illi de coadjutore provideatur propter periculum animarum ne gregi fidelium desit custodia Pastoralis, *cap. Qualiter*, 7. *qu.* 1. *cap. Ex parte*, *de Cler. ægrot.* Sæpè autem contingit præsertim ultra montes, ut Episcopatus vel Abbatiæ, Prælato existente inhabili, indigeant Coadjutore magnæ autoritatis & potentiæ, qui valeat ibi Catholicam Religionem fartam tectam servare & bona, immunitatemque Ecclesiæ ac personarum Ecclesiasticarum ab infidelium & hæreticorum injuriis defendere. Personæ autem hujus generis vix ac nè vix quidem induci possunt ad onus Coadjutoris subeundum, nisi cum futura successione, ut docuit experientia. Igitur in eo casu & in aliis similibus charitate cogente, ut dicit textus *in cap. Petiisti*, 7. *qu.* 1. poterit Summi Pontificis circumspecta providentia de perpetua coadjutoria salubriter providere. Hæc autem ratio non viget in canonicatibus & aliis beneficiis cathedralium vel collegiatarum Ecclesiarum. Tum quia illis non imminet periculum animarum: 73
& si fortè immineret non deesset qui cum competenti mercede coadjutoriam susciperent sine futura successione. Tum quia in prædictis Ecclesiis divina officia persolvuntur à reliquis collegialibus & Ministris Ecclesiæ; nec Canonicus infirmus vel senior confectus renetur sibi coadjutorem adjungere, aut inservire per substitutum, *cap. unic. de Cler. non resid. lib.* 6. & fuit millies resolutum ut scripsi latè *in cap. Licet*, *à num.* 136. *supra de præb.* non igitur mirum si in beneficiis inferioribus Tridentina Sinodus has coadjutorias minimè permiserit, cùm in illis considerari non possit ratio ulla urgentis necessitatis, *cap. Quod pro necessitate*, 1. *qu.* 1. *cap. Pro remedio*, & ibi gloss. *pag.* 1. *quæst.* 7. *& cap. Pastoralis*, 7. *qu.* 1. Non enim in argumentum trahi possunt quæ propter necessitatem aliquandò sunt concessa, *cap. In argumentum de reg. jur. lib.* 6. *& cap. Quod non est licitum*, *infra eodem tit.*

Nec dicatur saltem in eis posse considerari rationem uti- 74

litatis Ecclesiæ, quæ necessitati æquiparatur, *cap. Post translationem*, §. *Cùm ergò de renunc. & dict. cap.* 7. *vers. Quod si Cathedralis*, *sess.* 25. eò quod Ecclesiæ addatur minister, qui serviat in divinis loco canonici impediti. Nam respondetur, hoc argumentum unus ministri ad tempus impediti non esse tanti momenti ut illi non præponderent gravamina plurima, quæ indè personis Ecclesiasticis inferuntur, ut
75 *c. detestanda de conc. pr. l.* 6. nam ut ait Petr. Andr. Gamb. *de Offic. & potestat. legat. lib.* 5. *sub tit. de coadjut. n.* 13. per has gratias intrat fœda successio in Ecclesia Dei, veluti referens in beneficiis hæreditariam quamdam imaginem sub qua plerumque hæredes fiunt pueri, qui nedùm ipsi coadjutore, sed prædagogo egent; cujus dictum refert & approbat Gonzal. *ad red. de mensib. glos.* 5. §. 9. *n.* 41. ad hoc
76 bonus textus *in c. Indecorum supra de ætate & qualit* & quamvis Lotter. *de re benef. lib.* 2. *q.* 25. *n.* 19. dicat hoc pertinere ad contingentiam contra mentem Summi Pontificis ex sinistra informatione quæ vix præcaveri potest, ut ostendit Pius II. *in Epistola quæ inscribitur de moribus Germanorum*, *char.* 6. vers. *decipitur interdùm.* Nihilominùs si res seriò consideretur, apparebit id provenire etiam ex natura rei; nam ad coadjutoriam non solent concurrere, nisi graves & provectiores ac benè de Ecclesia meriti. Tum quia tales sperant se posse provideri de beneficio, cùm per obitum vacabit; tunc enim digiliores præferri solent. Tamen quia sibi dedecori esse putant tanquam fictos beneficiatos dici gratis inservire, postremum locum tenere & ad beneficium pervenire per viam gratiæ præventivæ. Indèque fit ut viri seniores & præstantiores à junioribus & minùs idoneis excludantur & quasi supplantentur. Et quamvis ad coadjutoriam obtinendam exigantur litteræ testimoniales & commendatoriæ, aut Episcopi aut Capituli super qualitatibus coadjutoris & indigentia Ecclesiæ, ut attestantur Gonzal. *ad reg. de mensib. glos.* 5. §. 9. *n.* 48. *cum seqq.* & Loter. *d. q.* 15. *n.* 27. docuit tamen experientia hanc cautelam parùm prodesse, cùm sæpè sæpiùs hujusmodi litteræ emendicatis favoribus extorqueantur. Quin imò audivi pluribus ab hinc annis, quemdam Cathedralis Ecclesiæ Canonicum (Papa, ut arbitror circumvento) prætextu inhabilitatis ad inserviendum Ecclesiæ in Divinis obtinuisse sibi dari coadjutorem in Canonicatu cum futura successione; & paulò post eumdem Canonicum fuisse deputatum coadjutorem Dignitatis, itidem cum futura successione in alia Ecclesia; atque ita fuit simul coadjutus & coadjutor & qui habebatur pro inhabili ad inserviendum pro seipso & egebat coadjutore in Ecclesia propria, fuit reputatus habilis ad inserviendum & coadjuvandum alium in Ecclesia aliena:
77 undè ad hæc & similia absurda evitanda fortè consultius foret, ut Sedes Apostolica ab hujusmodi gratiis abstineret ubique locorum, sicut abstinet in Germania, ubi ex concordatis cautum est, ut Papa concedendo coadjutorias cum
78 futura successione in omnibus mensibus dicatur concordatis
79 contravenire; de quo plenè agit Put. *decis.* 226. *per totum lib.* 3. nec obstat *cap. Petiisti* 7. *q.* 1. quia loquitur in Episcopo cui ex permissione Canonum dispensativè dari potest coadjuter cum futura successione, secundum ea quæ dicta sunt suprà *n.* 47. *& n.* 69. Præterea ut ex illo textu perspicuè apparet, etiam Episcopo Papa non dat coadjutorem cum futura successione, nisi cum duabus conditionibus, una est, ut Episcopus eam probet in ministerio coadjutoriæ; altera est, ut postquam eum probaverit & aptum esse reperierit ad Officium Pastorale, in ultima hora in qua cognoverit se fore ex hoc seculo migratum: eamdem sibi successionem designet; nam in tam brevi intervallo & salute Episcopi ab desperatâ, cessat omnis suspicio voti captandæ mortis. At in hoc loco coadjutoria neutra ex his conditionibus observatur. Imò ante ullum experimentum & circa periculum mortis coadjuti unico contextu datur coadjutoria & futura successio, ad hoc *c. miramur* 61. *d.* Denique si textus ille accuratè expendatur, constabit Zachariam Papam non dedisse Archiepiscopo Moguntino potestatem sibi eligendi successionem, sed tantummodo Coadjutorem assumendi, qui tamen post obitum Prælati à Sede Apostolica esset ordinandus, ut clarè colligitur ex littera ibi, *ea hora*, *qua te de præsenti sæculo migraturum esse cognoveris*, *præ-*
80 *sentibus cunctis successorem designa*, *& hùc veniat ordinandus.* Hæc ibi, & sic non fuit ibi Coadjutoria cum futura successione, sed simplex designatio successoris, qui tamen ordinandus, seu providendus esset ab Apostolica Sede post obitum Coadjuti. Nam ordinare idem importat quod conferre, ut patet ex littera hujus textus ibi, *Si autem Episcopus conferre distulerit*, *per Capitulum ordinetur*, & notat Butr. *in* 5. *notat* Archid. *in cap. Si tibi absenti*, *de præb. lib.* 6. Vel certè idem est quod confirmare, *cap. Nullus*, 58. *diss. cap.* 2. *de arbitr.* & ita ad text. *in d. c. Petiisti*, respondet August. Triumph. *de potest. Ecclesiast. q.* 2. *art.* 2. *ad* 2. dicens: Zacharias Papa non concessit Episcopo Moguntino successorem posse sibi instituere, sed benè concessit aliquem Episcopum posse sibi Coadjutorem assumere, qui post obitum ejus ad Apostolicam Sedem accederet eligendus & confirmandus. 81

Item non obstat *c. Non autem*, 7. *q.* 1. *&* §. *His autoritatibus immediatè præced.* Quoniam similiter loquitur in Episcopatu, non autem in inferioribus beneficiis, de quibus nunc agimus. Præterea ille textus non tractat de successione, sed de accessu, nam Augustinus non fuit successor, sed Coepiscopus Valerii; quidquid contra scripserint Put. & Lotter. supracitati *n.* 44. ut clarè constat ex illis verbis, *Ita consecratus est*, *ut non succederet in Cathedra Episcopo*, *sed accederet*; *nam incolumi Valerio Hipponensis Ecclesiæ Coepiscopus Augustinus factus est.* Hæc ibi. Undè hæc autoritas potuisset à modernis omitti, quia impertinens est ad coadjutoriam cum futura successione quæ multùm differt ab accessu, ut illic patet & in præcitato Decreto Concilii Tridentini, *c.* 7. *sess.* 25.

Demùm non obstat *c.* 2. *de præb. lib.* 6. quia tantùm 82
probat Summum Pontificem posse tribuere jus in beneficiis vacaturis, quod nemo negat, sed hoc intelligitur non per viam Juris communis; sed per viam dispensationis quæ est juris relaxatio, glossa *in c. ut constitueretur* in verbo *detrahendum* 50. *dist.* & dicitur vulnus, quia per eam jus vulneratur, *c. ipsa pietas* 23. *quæst.* 4. & notat Silvester in verbo *dispensatio in princ.* quod autem futura successio in beneficio viventis non concedatur à Summo Pontifice secundum Jus commune, imò contra Canones & ex speciali indulgentia & dispensatione ac de plenitudine potestatis: probo apertissimè per quatuor textus. Primus est *in c. Proposuit infra eodem* in illis verbis: *Licèt autem intentionis nostræ non sit investiturâ de vacaturis factas contra Canonum instituta ratas habere*, *qui secundum plenitudinem potestatis de Jure possumus supra Jus dispensare*, ubi Joannes Andreas *n.* 3. in verbo *Vacaturæ* notabiliter ait: *Quomodo in provisione vacaturæ Papa tollit vitium quod est in promissione*, *voti scilicet captandæ mortis. Respondeo*, *quia Papa est juri à Jus.* Secundus textus est *in c. constitutus infra eodem*, ubi dicitur ex Canonicis Sanctionibus prohiberi beneficia concedi vel promitti antequam vacent; & Mandatum de vacaturis continere gratiam personalem. Tertius est *in c. ne captandæ de concess. præb. lib.* 6. ubi dicitur: ne captandæ alienæ mortis occasio ex benignitate gratiarum Sedis Apostolicæ tribuatur; & sic futura successio in beneficiis emanat non secundum jus, sed ex gratiæ benignitate & speciali indulgentia Apostolicæ Sedis. Quartus textus admodum clarus est *in c. Petiisti* 7. *q.* 1. ubi posteaquàm 83
Zacharias Papa indulsit Archiepiscopo Moguntino, ut in suo transitu coadjutorem suum posset sibi successorem designare, immediatè subdit: *hoc nulli concedi alii patimur quod tibi charitate cogente largire censuimus*; & ita id esse non secundum Jus, sed ex speciali gratia tenent hic Hugo & Archid. seu ex speciali indulgentia, ut loquitur Joannes Andreas *in c. Accepimus in fin.* & Butr. *n.* 8. *suprà de pact.* idem firmant hic Host. *n.* 2. in verbo *omninò frivolas*, dicens coadjutorem cum futura successione, de quo loquitur textus *in d. c. Petiisti*, concedi ex dispensatione facta à Papa ex certa & speciali gratia, & sequitur Bellam. *in d. c. Accepimus in* 4. *q. num. quarto* post Collectar. hic *numero primo.* Concludo igitur hodiernas coadjutorias esse odiosas & exorbitantes à Jure commun & Concilio Tridentino.

Cæterùm constanter affirmo, posse Pontificem Maximum 84
ex speciali indulgentia & dispensativè ut prædixi, legis vinculum relaxare & has gratias concedere, ut clarè probatur in Juribus proximè citatis *& in d. c.* 2. *de præb. lib.* 6. & tradit Put. *dec.* 226. *n.* 17. *lib.* 3. & alibi passim Doctores. Nec quisquam auderet hoc in dubium revocare propter plenitudinem potestatis Papæ in beneficialibus, ut in clem. 1. *in fin. ut lite pendente*; & scripsi latè *in c. consultationibus n.* 26. *& seqq. suprà de Cler. ægrot.* quod adeò verum est, ut non solùm coadjutoria cum futura successione; sed etiam simplex expectativa, quæ procul dubio est contra Concil. Trident. *c.* 19. *sess.* 24. ut dixit 85
Rota *decis.* 276. *n.* 3. *part.* 1. *recent.* sustineatur, licèt Tridentino Concilio derogatum non fuerit, quia illi nec solet 86
nec oportet specialiter derogare propter expressam præservationem autoritatis Apostolicæ Sedis quæ habetur *in c. ult. sess.* 25. *de reform.* sed satis est ut Papa disponat contrarium ejus, quod Concilium disponit, dummodo supplicatio manu Papæ signata fuerit, ut expresè declaravit sanæ memoriæ Pius V. in suo motu proprio, quem ad litteram refert Nicolaus Garz. *de benef. part.* 4. *c.* 5. *n.* 32. *&* 33. & sæpiùs censuit Sacra Congregatio ejusdem Concilii Interpres; & fuit declaratum in Cancellaria Apostolica per Abbreviatores, ut idem Garz. attestatur *d. c.* 5. *num.* 34. *&* 35. & decidit Rota in una Pensionis S. Angeli 16. Decembris 1594. coram bonæ memoriæ Cardinali Pamphilio, ut per eumdem Garziam *dict. c.* 5. *num.* 30.

devolvitur potestas ad superiorem. Quo fit ut nec liceat petere in integrum restitutionem secundum Collect. *hic num.*
27 *20. per dict. cap. Licet*, post Joan. Andr. in Clemen. *unic. de integrum. restit.* Rursùs hoc tempus sex mensium est utile ab initio, tum quia non currit ignorauti, ut proximè dictum est per *d. cap. Quia diversitatem*, §. *fin. & d. cap. Licet* & sic est utile, ut *l. Annus, ff. de Calumniator. & l. 2. eod. qui admitt.* Tum quia non currit valenti conferre etiam sui culpa, ut *d. cap. Quia*, §. *Sic tamen.* Undè ex hoc semestri subtrahitur tempus suspensionis & peregrinationis, ut hic per gloss. *in ver. infra sex menses*: Innoc. *in eod. verb.*
28 Host. *num.* 2. & 3. *vers. Quæritur an istud tempus.* Sed alio respectu est continuum, quia currit etiam diebus feriatis secundum Joan. Andr. *num.* 14. *vers. & ibi utile.* Facit *cap. Capellanus, de fer. & l.* 1. §. *Item nunciatio, ff. de nov. oper. nunc.* & est simile in decennio appellationis, de quo *in cap. Anteriorum* 2. *qu.* 6.

29 Decimò nota ibi, *conferre distulerit*, jus conferendi beneficium devolvi ad superiorem, si eis, ad quem spectat collatio, distulerit ultra sex menses conferre ut est casus hic: procedit in omnibus dignitatibus officiis & præbendis, dummodò tamen sint, distinctæ, vel certus numerus statutus;
30 aliàs secùs ut in Ecclesiis non numeratis, quia in illis non datur vacatio; ac proindè non potest esse locus devolutioni Textus est *in cap. Ex parte, infra eod.* & hic notat gloss. *in verb. infra sex menses, vers. Ista tamen Constitutio* Innoc. post *med. vers. Et dicimus locum habere*, licet legatur corruptè, Host. *num.* 3. *vers. Quarto.*

31 Rursùs quamvis olim hæc devolutio locum non haberet in Episcopatibus & Archiepiscopatibus, ut *cap. Dilectus infra eod.* hodiè tamen locum habet tam in ipsis, quàm in Abbatiis, ut potestas eligendi transferatur ad Superiorem, sed minùs tempus devolutioni præscribitur, id est trium mensium quia mora in talibus est periculosa, hic est textus *in c. Ne pro defectu, supra de elect. & in cap. Quamquam eod. tit. lib.* 6. glossa prælleg. hic Innoc. *circa fin. vers. Et licet olim* & Host. *n.* 3. *vers. Quarto.*

Cæterùm non vendicat sibi locum pœna devolutionis hic statuta in eo qui debet instituere præsentatum à Patrono,
32 ut tenent Domini de Rota, *decis.* 212. *alias* 4. *vers. Præterea nullum tempus, de Jure Patr. in novis*; quia hæc decretalis loquitur in eo, ad quem spectat jus conferendi; undè non extenditur ad eum ad quem spectat jus instituendi: respectu enim institutionis faciendæ non reperitur tempus à jure præfixum & illam decisionem refert & sequitur Abb. *hic num.* 11.

Demùm pœna devolutionis locum habet, dummodo is
33 ad quem spectat collatio, distulerit conferre per negligentiam, secus si per impotentiam juris vel facti etiam culpa contingentem, ut *Quia diversitatem, infra eod. & c. Cùm M. supra de Constit.* secundum Innoc. *hic in fin.* Host. *n.* 3. *in ver. Conferre* & Joan. Andr. *num.* 7. *in ver. Distulerit*, quibus cæteri consentiunt & fusiùs dictum est supra in præc. notab. *n.* 7.

34 Undecimò nota in eodem *vers. distulerit*. hanc devolutionem potestatis conferendi beneficium ob negligentiam non conferentis fieri ad proximum Superiorem gradatim, ut hic est decisio multùm notabilis, quæ quotidiè observatur in praxi. Undè si Capitulum infra sex menses non conferat, potestas devolvitur ad Episcopum, qui habet sex menses ut hic *& in cap. Licet supra de suppl. neglig. Prælat.* & Episcopo negligente, fit devolutio ad Metropolitanum, qui similiter habet alios sex menses: eoque non conferente devolvitur potestas ad Patriarcham, cui Archiepiscopus subest. Quòd si Superiorem non habeat ad Papam fit devolutio, ut hic firmat Abb. *in uit. notab.* post Host. *in fin.* Joan. Andr. *num.* 8. *in ver. Omnes* Imol. *numer.* 16. Rebuff. *in praxi benef. tit. de devolut. num.* 7. & tenent Domini de Rota, *decis.* 1. *n.* 4. *de supplen. neglig. Prælator. in nov.* Mantic. *decis.* 260. *num.* 2. Nota tamen differentiam inter Metropolitanum & Papam; nam Metropolitanus conferre non po-
35 test jure devoluto, nisi omnes inferiores Collatores ultra sex menses conferre neglexerint, ut patet ex littera ibi: *vel si omnes & in cap. Postulastis infra eod.* & tenent hic Joan. Andr. *num.* 8. *in ver. Omnes.* Sed Papa lapso primo semestri statim potest providere ut per Gonzal. *ad regul. de Mensib. in proœm.* §. 3. *num.* 5. & vide Rota apud Card Seraph.
36 *decis.* 1363. Rursùs Papæ negligentiam nemo supplet cùm
37 Superiorem non habet; Salvo tamen eo quod habetur *in c. Statutum de præb. lib.* 6. ubi si Papa beneficium vacans in Curia non conferat infra mensem à die vacationis, Ordinarius confert secundum Boattinum, cujus dictum hic sequitur Joan. Andr. *num.* 8. *in ver. Metropolit.* Imol. *num.* 16. & Joan. de Anan. *num.* 19.

38 Sed hic incidit dubitatio, numquid legatus natus ad quem devolvitur potestas conferendi propter negligentiam inferioris, habeat duo semestria ad conferendum.

Præmitto ejusmodi legatos natos, ut sunt Archiepiscopi Eboracens. Cantuarient. Rhemens. & Pisan. quamvis possint suam jurisdictionem exercere in Diœcesibus suffraganeorum suorum & tota Provincia, ut habetur *in cap.* 1. *de offic. legat. lib.* 6. *& in cap.* 1. *de appellat.* non tamen possent conferre beneficia ad collationem Inferiorum spectantia, nisi posteaquam propter negligentiam eorumdem inferiorum ad eos devoluta fuerit collatio, juxta textum hic: In quo casu dubitatur an talis habeat duo semestria, unum scilicet, tanquam Archiepisc. aliud tanquam Legatus.

Pro parte affirmativa facit concurrentia diversorum jurium in eadem persona arg. eorum, quæ habentur *in cap. A collatione de appell. lib.* 6. *in cap. Postulastis, infra eod. in cap. Cùm inter universas, supra de elect. & in l. Tutorem, ff. de his qui indig.* Contrarium tenent Domini de Rota *in præalleg. decis.* 1. *num.* 5. *de suppl. neglig. Prælat. in nov.* dicentes de hoc esse casum *in cap. Licet, supra de suppl. neglig. Prælat.* ubi de Eboracenn. Archiepiscopo, qui est legatus natus ratione suæ dignitatis sicut Cantuarien. ut in *cap.* 1. *supra de offic. legat.* & tamen ibi antequam fiat devolutio ad Papam non habet nisi unicum semestre, & sequuntur prædictam decisionem Butr. *hic num.* 10. & Imol. *num.* 17. quia tanquam Prælatus non habet potestatem supplendi negligentiam propriam ubi neglexerit tanquam Archiepiscopus; & idèò sibi tanquam legato non dabitur aliud semestre, sicut de seipso non potest appellari, nec querela deponi secundum ea quæ habentur *in cap. Romana de foro compet. lib.* 6. *& in cap.* 2. *de conjuctud. eod. lib.* Non obstant contraria, quia loquuntur in eo casu in quo qui simul cum alio debet actum exercere, tunc enim potest negligentiam propriam supplere *dict. cap. Postulastis.* Secùs quandò solus debet actum expedire, quia tunc negligentiam suam minimè supplebit ut per eosdem firmat gloss. Pragnat. Sanct. *in tit. de collat. in ver. Respectivè* & Joan. de Selu. *de benef. in* 2. *part. qu.* 3. *n* 55.

Duodecimò nota ibi, *per Capitulum ordinetur*, potestatem conferendi non tantùm devolvi ex minoribus ad Superiores, 39
sed etiam ex Superioribus ad minores quemadmodum hic fit devolutio de Episcopo ad Capitulum & not. Host. *num.* 3. *vers. Tertio quæritur*, Anchar. *num.* 14. & Imol. *num.* 5. Aliàs verò minor, aut per negligentiam Superioris, vel paris non supplet nisi ubi reperitur expressum, ut post Archid. *in cap. Volumus*, 89. *dist.* not. hic Collect. *numer.* 5. & Abb. *num.* 6. Simile habetur *in cap. Cum simus*, 9. *qu.* 3.

Ultimò nota ibi. *Quod si ad Capitulum pertinuerit* Capitulo posse competere jus conferendi beneficia etiam privativè ad Episcopum ut apertè probatur hic, aliàs enim non fieret devolutio de Capitulo ad Episcopum & not. Barnard. *hoc in princ.* & Abb. num. 5. De simultanea verò inter Episcopum & Capitulum, vide textum *in cap. Cùm Ecclesia Vulterana, supra de elect. & in cap. Postulasti*, & quod utrobique plenè notavi *infra eodem.*

In gloss. 3. nota bene rationem glossæ, cur pactum de futura successione in beneficiis Ecclesiasticis non validetur ex 41
consensu beneficiati, cùm tamen secùs sit in pacto de hæreditate viventis, ut *l. fin. cod. de pact.* Ratio enim differentiæ est secundum gloss. quia non est in potestate beneficiati dare successorem in beneficio ut *cap. Detestanda infra eod. lib.* 6. sed Paterfamilias benè potest concedere cui vult suam hæreditatem. Beneficiatus enim est Procurator, Paterfamilias Dominus ut per Card. *hic num.* 7. Eamdem rationem assignant in *cap. Accepimus de pact.* Joan. Andr. *n.* 2. Bellam. *in princ. in* 1. *oppos.* Butr. *num.* 6. & Card. *n.* 2.

Quæro, an coadjutoriæ quæ dantur hodiè à Sede Apostolica cum futura successione, adversentur juri communi vel 42
decretis Concilii Tridentini.

Quod spectat ad jus commune, duæ sunt opiniones; Prima est eorum, qui putant hujusmodi Coadjutorias esse conformes juri communi, cui adhærent nonnulli ex modernis videlicet Nicolaus Garzia *in tract. de benef. part.* 4. *c.* 5. *num.* 19. & Lotter. *de re benef. lib.* 2. *qu.* 25. *à num.* 6. ubi inititur hanc gratiam à detractoribus vindicare & *n.* 8. contendit illius usum esse antiquissimum & à S. Canonibus approbatum & videtur ex mente Putei *decis.* 478. *num.* 5. *l.* 2. ubi ait gratiam Coadjutoriæ non esse merè præventi- 43
vam, sed habere fomentum juris propter consensum Coadjuti, nec esse ita odiosam, sicut est gratia merè præventiva & Quintil. Mandos. *ad reg.* 11. *qu.* 5. *num.* 5. dum dicit usum hujus gratiæ habere aliquam conformitatem cum jure Canonico licet eum carpat Gonzal. *ad reg. de Mensib. glos.* 5. §. 9. *num.* 49.

Allegantur pro hac opinione tria jura. Primò scilicet *cap.* 44
Petisti, 7. *qu.* 1. ubi hoc videtur expressum, Sed de intellectu hujus textùs plenè dicam infra *num.* 48. 49. *& n.* 78.

Deinde allegatur, *cap. Sicut vir.* §. *Ecce his autoritatibus vers. Hinc etiam*, cum *cap. Non autem immediatè seq. eod. causa & quæst.* ubi Beatus Augustinus successit in Ecclesia Hipponensi de consensu Episcopi ægrotantis ut dicunt. Put. *decis.* 226. *num.* 17. *lib.* 3. & Lotter. *d. qu.* 25. *n.* 8.

8. qui tamen errore sunt lapsi ut patebit infra *numer.* 80. Tertio allegatur *cap.* 2. *de præb. lib.* 6. ubi expressum est Romanum Pontificem non solùm beneficia cùm vacant posse
45 de jure conferre, sed etiam jus in ipsis tribuere vacaturis. Ex quibus verbis videtur colligi has gratias præventivas respectu Papæ non adversari Lat. Concil. de quo tamen videbimus infra *n.* 82.

Secunda opinio primæ opposita est existimantium coadjutorias cum futura successione nequamquam esse juri com-
46 muni conformes, sed ex ritio adinventas. Ita Castador. *decis. secundò numero secundo de restitutione Mohedan. decisione* 10. *de privil. alias* 36. *ad fin.* dicens hodiernas Coadjutorias esse in utraque parte odiosas & exorbitantes à jure Rota *decis.* 392. *num.* 2. *part.* 3. *recent.* ubi ait in forma hujus gratiæ multa decreta contineri ad favorem Coadjutoris & Coadjuti, quæ non conveniunt Coadjutoriæ in forma juris communis, Petr. Andr. Gamb. *in tract. de offic. & potest. leg. lib.* 5. *sub titut. de Coadjut. num* 23. Quintil. Mandos. *de signat. grat. tit. de Coadjut. vers. Altera cum futura successione & in reg.* 11. *quæst.* 5. *num.* 4. Navarr. *cons.* 2. *num.* 2. *in tit. de Cleric. ægrot.* Quin imò Petr. Gregor. Tholosan. *de benefic. cap.* 30. *num.* 2. Affirmat Coadjutorias cum futura successione per mortem ejus cui datur Coadjutor, videri detestabiles in Jure per textus in *cap. Accepimus, supra de pact.*

Nituntur omnes hoc præcipuè fundamento, quod de jure communi Coadjutor datur pro necessitate Ecclesiæ & ad tempus impedimenti, non autem cum futura successione quæ est sacris Canonibus inimica, ut dicitur *in d. cap. Accepimus* imò ejus officium expirat per obitum Coadjuti ut patet supra *de Cler. ægrot. per tot. & in cap. Grandi, de supplem. neglig. Prælat. lib.* 6. & tradunt Joan. Andr. Butr. Card. & reliqui in *cap. fin.* omnes *in* 8. *qu. de Cler. ægrot.*

Quid dicendum? Pro solutione quæstionis arbitror distin-
47 guendas esse duas species Coadjutoriæ cum futura successione. Quædam enim datur pro Cathedrali Ecclesia vel Monasterio, cùm scilicet Episcopus vel Prælatus propter senium vel ægritudinem factus est inhabilis ad Pastorale munus exercendum. Quædam verò datur pro beneficiis inferioribus in Cathedrali vel collegiata Ecclesia, cùm scilicet Dignitatem obtinens vel Canonicatum aut portionem similiter propter senium aut morbum redditus est inhabilis ad inveniendum Ecclesiæ in divinis. Quoad primam speciem dicimus gratiam Coadjutoriæ perpetuæ in Cathedralibus & Monasteriis etiam respectu Papæ esse contrariam S. Canonibus: observandum est hoc duobus modis accipi posse, Uno modo ut dicamus hanc gratiam usque adeò esse Canonibus injustam ut neque ex privilegio vel dispensatione Papæ fit alicui concedenda & in hoc sensu hæc gratia nullatenus est contra Canones; Quòd patet manifestè, quia Canones permittunt ut Papa possit eam
48 concedere ex urgenti necessitate, text. est apertus in *cap. Petisti, num. qu.* 1. ubi Zacharias Papa duo concessit Archiepiscopo Moguntino. Unum scilicet ut sibi Coadjutorem adjungeret, cùm esset senestute & corporis imbecillitate gravatus. Alterum ut in qua hora cognosceret se ex hac vita migraturum esse, eumdem Coadjutorem sibi successorem designaret. Sed & Concil. Trid. permittit hanc speciem Coadjutoriæ *in cap.* 7. *vers. Quod si quandò, sess.* 25. ut fusiùs patebit infra *num.* 69. & hoc planum.

49 Alio modo hæc gratia dici potest juri communi contraria in quantùm conceditur à Papa non jure ordinario, sicut conceditur Coadjutoria temporalis, ut in *cap. unic. de Cler. ægrot. lib.* 6. Sed ex speciali privilegio & dispensatione & hoc sensu verissimum est Coadjutoriam perpetuam etiam pro Cathedralibus, & Monasteriis exorbitare à jure communi; etiam respectu Summi Pontificis. Hoc deduco evidenter ex *d. e. Petisti*, ubi posteaquam Papa fecit Archiepiscopo gratiam Coadjutoris cum futura successione statim subjecit hæc verba videlicet, *hoc nulli concedi alii patimur, quod tibi charitate cogente largiri cenjunimus.* Et ita hanc concessionem uti Ecclesiæ necessariam prodiisse ex speciali privilegio adnotarunt ibi, Hugo Archid, Præpos. & alii, seu ex speciali indulgentia, ut loquuntur *in cap. Accepimus, de pact.* Host. *num.* 2. *in verb. Omninò frivolas*, Bellam. *in princ. versic. Non obstat* Butr. *num.* 8. & Joan. Andr. *in fin.* dicens idem tenere Goffred. Tancred. & Host. *in cap. Constitutus infra eod.* Facit optimè decretum Concilii Tridentini, *cap.* 18. *sess.* 25.

Quo verò ad secundam speciem Coadjutoriæ, quæ datur
50 à Summo Pontifice cum futura successione in Canonicatibus & aliis beneficiis inferioribus existimo hujusmodi gratiam omninò exorbitare à jure communi & à Concilio Tridentino.

Quod spectat ad jus commune moveor primò, quia nul-
51 lus Canon. in corpore juris clausus reperitur, qui meminerit similis gratiæ in inferioribus beneficiis, nam textus in contrarium adductus, *in cap. Petisti*, 7. *qu.* 1. & §. *Ecce his autoritatibus*, cum *cap. Non autem immediatè seq. eod. cau. & quæst.* loquuntur in Episcopo in quo longè diversa est ratio, ut inferiùs explicabitur *num.* 72. Undè Coadjuto-
ria per quem succeditur Coadjuto in Canonicatibus & consimilibus beneficiis, est prorsùs incognita Sacris Canonibus. Et qui contrarium dicit, adducat textum, alioquin erubescat sine lege loqui, *l. Illam, C. de collat.* 52

Moveor secundò, quia Sacri Canones magnopere abhorrent à successione in beneficiis Ecclesiastici, ut patet *in c. Accepimus supra de pactis*, in illis verbis: *Hoc iniquum est & SS. Canonibus inimicum & ideò non debet aliquatenus tolerari*, nec non infra ibi, *hujusmodi successiones tam detestabiles & iniquas.* Concordant jura plurima, ibi allegata in gloss. *in ver. Canonibus.* Hæc autem jura obtinere etiam in Coadjutoria, quæ datur hodiè à Sede Apostolica cum futura successione ostendo apertissimè ex præalleg. *cap.* 7. *sess.* 25. Concil. Trid. nam ibi in princ. præmittitur ratio illa, videlicet. Cùm in beneficiis Ecclesiasticis ea quæ hæreditariæ successionis imaginem referunt Sacris Constitutionibus sint odiosa & Patrum decretis contraria, ac deindè veluti consequens ex præmissa ratione deductum statuitur ut accessus, regressus & Coadjutoriæ cum futura successione de cætero nemini permittantur, scilicet à Summo Pontifice ut latè deducam infra *nu.* 70. Ergò evidenter apparet has Coadjutorias etiam respectu Papæ à S. Sinodo referri inter ea quæ sapiunt hæreditariam successionem & Sac. Canonibus adversantur. Quod etiam alia ratione suadetur; nam ratio cur 53
jura detestentur hanc successionem illa est præcipua, quia alienæ mortis ingerit votum, *cap. Detestanda, de concess. præbend. lib.* 6. & latiùs dictum est supra *in* 4. *notab.* Hæc autem ratio negari non potest, quin potissimum vigeat in hac specie Coadjutoriæ cum futura successione, cum Coadjuti vita durante Coadjutor gratia inserviat & respectu beneficii nec titulum habeat, nec possessionem, sed sit fictus 54
beneficiatus, ut decidit Rota *in Salamantina Coadjutoriæ* 25. *Junii* 1593. coram Penia, impressa apud Marchesan. *de Commiss. lib.* 1. *fol.* 458. & Nicol. Garz. *de benef. part.* 4. *cap.* 5. *num.* 34.

Nec relevat responsio Lotterii *de re benef. lib.* 2. *d. qu.* 55
25. *num.* 20. & 21. quod in hodierna Coadjutoria requiritur consensus & requisitio Coadjuti & propterea cesset amaritudo captandæ mortis, ut notat Bart. per illum textum in *l. fin. sub num.* 11. *vers. Tertio probo, cod. de pact.* Otasc. *decis.* 100. *sub num.* 3. *vers. Tertio defenditur*, & in terminis hujus gratiæ Puteus *decis* 478. *col. ult. versic. Nam licet gratia lib.* 2. Etenim hæc ratio videtur satis infirma, quia cùm Coadjutor non possit succedere in beneficio, nisi ipso Coadjuto priùs de medio sublato, in quoddam velut necessarium antecedens ad consecutionem beneficii inclinatur in desiderium mortis ipsius ut colligitur ex hoc cap. ibi: *ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum & beneficium je crediderit successurum.* Hæc autem inclinatio & propensio cùm sit naturalis ut dixi supra, *num.* 19. ex Collect. & Bellam ridiculum est ut cesset ex eo, quoad Coadjutus consenserit futuræ successioni, non enim Coadjutor minùs appetit illius beneficium, quod Coadjutus voluerit eum habere in ipso beneficio successorem. Et quidquid sit secundùm leges certè secundum Canones improbatur pactum futuræ successionis propter votum captandæ mortis etiam consentiente beneficiato, ut ostensum est supra *numer.* 41. Put. *verò loc. cit.* tantùm dicit gratiam Coadjutoriæ propter consensum Coadjuti esse minùs odiosam, quàm sit 56
simplex expectativa; sed non dicit propter consensum Coadjuti cessare desiderium captandæ mortis.

Moveor tertiò ex quàmpluribus differentiis, quæ apparent inter Coadjutoriam secundum formam juris communis, 57
& hodiernam. Differunt enim primò, quia Coadjutoria de jure communi datur ad tempus impedimenti, Mohedan. *decis.* 10. *alias* 36. *de privil.* & expirat per mortem Coadjuti tam naturalem quàm civilem, Joan. Andr. *in cap. fin. in* 8. *qu.* & ibi omnes *de Cler. ægrot.* Hæc verò quatenus respicit favorem Coadjutoris per obitum Coadjuti non ex- 58
tinguitur ut declarat Puteus *decis.* 98. *lib.* 2. & scripsi plenius *in cap. Ex parte, num.* 5. *eod. tit.* Differunt secundò, 59
quia de jure Coadjutor datur etiam invito, *cap. de rectoribus, de Cler. ægrot. & d. cap. Ex parte*, ubi gloss. *ult. in fin.* Host. *itidem in fin.* & alii communiter Joan. Andr. *in dict. cap. fin. in* 6. *quæst. n.* 11. Sed in hodierna Coadjutoria requiritur Coadjuti consensus, Put. *d. decis.* 478. *num.* 5. *lib.* 2. Rota *decis.* 420. *numer.* 8. *part.* 3. *recent.* alioquin gratia est nulla Rota *decis.* 313. *num.* 27. *part.* 7. Differunt tertiò, quia Coadjutor secundum formam juris tenetur residere, ne aliàs Ecclesia ob impedimentum coadjuti debito servitio fraudetur, ad hoc enim principaliter fuit adinventa Coadjutoria, *cap.* 1. *de Cleric. ægrot.* Put. *decis.* 226. *num.* 13. *lib.* 3. Rota *decis.* 276. *num.* 2. *part.* 3. *recentior.* At Coadjutor hodiernus nec potest in Choro residere, nec Capitulo interesse, nec aliquid jurium Canonicalium exercere, contradicente coadjuto. Rota *d. decis.* 410. 61
num. 8. Differunt quartò, quia de jure Coadjutoria non datur propter benemerita aut in favorem personæ, cui con-

rem, ibidem.

39 *Devolutio potestatis conferendi fit etiam de superioribus ad minores, velut ab Episcopo ad Capitulum.*

Inferior non supplet negligentiam superioris vel paris, nisi in jure sit expressum ibidem.

40 *Capitulo potest competere jus conferendi beneficia etiam privativè ad Episcopum*

41 *Beneficiatus potestatem non habet dandi successorem in beneficio.*

42 *Coadjutoriæ quæ dantur hodiè à Sede Apostolica cum futura successione, an adversentur Juri communi vel Decretis Concilii Tridentini & num. seqq. usque in finem.*

45 *Coadjutoriæ gratia non est merè præventiva, sed habet fomentum Juris propter consensum coadjuti.*

46 *Coadjutorias hodiernas esse odiosas & à Jure communi exorbitantes qui autores senserint.*

47 *Coadjutoria cum futura successione in Cathedralibus & Monasteriis, an & quo respectu dicatur esse contra Canones & n. seqq.*

48 *Intellectus.* cap. Petiisti, 7. quæst. 1. & n. 49. 78. & seqq.

49 *Papa ex speciali Indulgentia & dispensatione potest tribuere Episcopo facultatem, ut in ultimo vitæ spiritu sibi successorem designet & num. 78. & 82.*

50 *Coadjutoriæ cum futura successione quæ dantur à Papa in Canonicatibus & aliis beneficiis in Cathedrali vel Collegiata Ecclesia, an exorbitent à Jure communi & n. seqq. usque ad n. 69.*

Anve exorbitent à Concilio Trid. n. 69.

51 *Coadjutoria cum futura successione in inferioribus beneficiis est prorsùs incognita Sacris Canonibus.*

52 *Coadjutoria hodierna hæreditariæ successionis imaginem refert & n. 75.*

53 *Coadjutoria cum futura successione ingerit votum captandæ mortis : quod non excludit per consensum coadjuti & n. seqq.*

54 *Coadjutor cum futura successione respectu Beneficii nec titulum habet nec possessionem ; sed est fictus beneficiatus & n. 66.*

56 *Coadjutoria cum futura successione propter consensum coadjuti, est minùs odiosa quàm gratia merè præventiva.*

57 *Coadjutoria hodierna in quibus differat à coadjutoria secundum formam Juris communis & n. seqq. usque ad n. 69.*

58 *Coadjutoria perpetua requirit consensum coadjuti, alioquin gratia est nulla.*

59 *Coadjutor de Jure communi tenetur residere.*

60 *Coadjutor cum futura successione non potest Choro aut Capitulo interesse, nec aliquid Jurium Canonicalium exercere contradicente coadjuto,*

61 *Coadjutoria de Jure non datur propter bene merita aut in favorem personæ ; sed ob Ecclesiæ necessitatem.*

62 *Coadjutoria cum futura successione continet duas gratias æquè principales, unam in favorem coadjutoris ; alteram in favorem Coadjuti.*

63 *Coadjutoria temporalis non datur nisi decrepitis vel morbo incurabili impeditis Officium exercere.*

64 *Coadjutori de jure datur certa portio ex redditibus beneficii in compensationem laborum.*

65 *Coadjutor cum futura successione distributiones non lucratur sibi, sed ad utilitatem coadjuti ; nec quidquam percipit ex fructibus beneficii.*

66 *Coadjutor temporalis potest quandòcumque amoveri & alius in ejus locum subrogari.*

67 *Coadjutoria temporalis dari potest ab eo ad quem spectat destitutio vel cessionis admissio.*

68 *Coadjutoriam perpetuam non dat legatus de latere, sed solus Papa.*

69 *Coadjutoriæ cum futura successione permittuntur à Concilio Tridentino in Cathedralibus & Monasteriis duntaxat ; non autem in beneficiis inferioribus & n. seqq. usque ad n. 67.*

Et quæ sit ratio differentiæ, n. 72.

70 *Concilium Tridentinum, quo sensu in aliquibus prohibitionibus intelligatur includere Summum Pontificem & n. seqq.*

71 *Expectativæ ad beneficia vacatura ab inferioribus à Papa concedi non possunt.*

73 *Canonicus infirmus vel senio confectus, non tenetur inservire per Substitutum.*

74 *Coadjutoriæ utilitas non est tanta ut illi non præponderent gravamina plurima, quæ ex futura successione Ecclesiis & personis Ecclesiasticis inferuntur.*

75 *Et quæ hujusmodi gravamina & n. seqq. & 79.*

76 *Ad coadjutoriam obtinendam exiguntur litteræ commendatitiæ aut Episcopi aut Capituli.*

77 *Papa concedendo in Germania coadjutorias perpetuas in omnibus mensibus, dicitur concordatis contravenire.*

79 *Coadjutor cum futura successione, quibus conditionibus detur Episcopo secundum antiquos Canones.*

80 *Ordinare, quandoque idem importat quod conferre vel confirmare.*

81 *Augustinus non fuit successor, sed Coepiscopus Valerii Hipponensis Ecclesiæ Episcopi.*

82 *Papa potest dare futuram successionem in beneficio viventis non secundum jus commune ; sed dispensativè & ex plenitudine potestatis & n. seqq.*

85 *Expectativæ concessæ à Papa sustinentur, etiamsi Concilio Tridentino derogatum non fuerit.*

86 *Concilio Tridentino nec solet, nec oportet generaliter aut specialiter derogari, dummodò supplicatio manu Papæ signata fuerit ex motu proprio Pii V.*

NUlla. Quidam erant nimis celeres in conferendis beneficiis, quia promittebant illa vel conferebant priùsquàm vacarent & contra hos providet prima pars Concilii Lateranen. Alii verò viceversa nimis erant tardi in illis conferendis cùm vacabant, & contra hos desides providet pars secunda ibi, *Contra verò.* Et breviter hoc intendit secundum Joan. Andr. cui cæteri consentiunt. Beneficia non vacantia concedi vel promitti non debent ; & cùm vacaverint, concedi debent infra sex menses quibus elapsis de Episcopo ad Capitulum & è converso & demùm ad proximum Superiorem collatio devolvitur. Prima pars tria facit. Primò ponit prohibitionem. Secundò ejus causam, ibi, *Ne desiderare.* Tertiò, illam fortificat per locum à minori, ibi, *Cùm enim.* Pars secunda itidem facit tria. Primò, statuit tempus ad conferendum. Secundò, punit negligentiam primi gradus ibi, *Si autem.* Tertiò, punit negligentiam secundi, ibi. *Vel si omnes.*

3 Nota primò ex principio textûs differentiam esse inter Ecclesiastica ministeria, beneficia & Ecclesias, nam pro Ecclesiasticis ministeriis hic possunt intelligi officia & dignitates veluti Archidiaconatus, Præceptoriæ, Sacristiæ & similia ut *cap. Cùm in cunctis*, §. *Inferiora, supra de elect.* Pro beneficiis strictè intelliguntur præbendæ & pro Ecclesiis parochiales, ut hic per gloss. 1. Hostiens. *in princ.* Joan. Andr. *n.* 2. Cardin. *num.* 1. & Abb. *in* 1. *notab.* In latiori tamen significatione omnia comprehenduntur beneficii appellatione ut *cap. Beneficium de reg. jur. lib.* 6. Abb. 6. *ubi supra*, & notant Butr. & alii *in cap. Olim, infra de verbor. significat.*

4 Secundò, nota ibi, *antequam vacent*, promissiones de beneficiis vacaturis non valere, ut hic *& in cap. seq. cap. Ex tenore & cap. final. infr. eod.* Cùm enim sint contra jus, nulla ex illis oritur obligatio, *l. fin. ff. de pact. & cap. fin. eodem tit.* & ita hic firmant gloss. secunda, Host. *in princ.*

5 *in ver. Antequam vacent*, Butr. *in* 1. *notab.* & Card. *n.* 6. Quod procedit sive promissio fiat in genere, sive in specie & sive per hæc verba, *cùm beneficium vacabit*, sive alio quovis modo, ut hic per Henrich. Boich. *col.* 2. *in fin. v.* 6 *Aut numquid possint* ; post Goffred. & Joan. Andr. *n.* 13. *ver. Et per hoc dicunt quidam.* Et quamvis ex constitutione Innocentii *cap. Accedens infra eod.* obligaretur Prælatus promittens beneficium sub hac forma *; cùm poterit, vel cùm se facultas obtulerit*, tamen constitutionem illam postea revocavit Bonifacius VIII. decernens has & consimiles promissiones, per quas directè vel indirectè aperitur via ad beneficia vacatura, esse omninò irritas ut *in cap. Detestanda infra* 7 *eodem lib.* 6. & prædicta intellige in Episcopis & aliis prælatis inferioribus, non autem in Papa, qui potest jus tribuere in beneficiis vacaturis, ut *cap.* 2. *de præb. lib.* 6. cùm sit supra jus ut *cap. Opposuit infra eodem*, & hic notat Innoc. *in princ.* ibi, *Verum est nisi in Papa*, Henric. Boich. *col.* 2. *vers. in* 1. *casu*, Butr. *num.* 12. *in fin.* Joan. Andr. *in d. cap. Proposuit, num.* 3. *in ver. Vacaturæ* & latiùs dicam infra *num.* 82. & 84.

Sed hodiè à Concilio Trident. *sess.* 24. *cap.* 19. decretum 8 est, mandata de providendo & gratias expectativas nemini ampliùs, etiam Collegiis, Universitatibus, Senatibus & aliis singularibus Personis etiam sub nomine Indulti, aut ad certam summam, vel alio quovis colore concedi, nec hactenus concessis cuiquam uti licere. Sed nec reservationes mentales nec aliæ quæcumque gratiæ ad vacatura, nec indulta ad alienas Ecclesias vel Monasteria alieni etiam ex S. R. E. Cardinalibus concedantur & hactenus concessa abrogata esse censeantur.

Stante hoc decreto, Philippus de Monte impetravit ab Im- 9 peratore preces primarias ad Archiepiscopum Cameracen. quæ dantur pro beneficiis vacaturis, cùm tale sit jus earum precum ; quibus legitimè intimatis Archiepiscopo, vacavit Ecclesia Beatæ Mariæ Virginis Cameracen. Thesauraria de qua licet vigore dictarum precum providendus fuisset asserts Philippus, qui infra tempus debitum eam acceptavit ;

nihilominùs Archiepiscopus Cameracen. illam contulit cuidam Giberto Leonino, sub prætextu, quod decretum Concilii *cap.* 19. *sess.* 24. tollit quascumque concessiones ad vacatura. Et quia *in d. cap.* 19 nulla habetur mentio de Imperatoribus, supplicavit declarari per Congregationem Concilii an *d. cap.* 19. afficiat hujusmodi concessiones & indulta ad vacatura sic anteà concessa per Romanum Pontificem Imperatori & demùm per Pium IV. confirmata, S. Congre- 10 gatio censuit hasce primarias preces non comprehendi *dict. cap.* 19. quia non nominatur Imperator qui est speciali nota dignus, nominantur Cardinales, qui sunt & ipsi speciali nota digni. Undè si Concilium voluisset comprehendere Imperatorem, expressisset vel saltem post Cardinales dixisset, & quibuscumque aliis. Quo casu dictio, *aliis* intelligeretur pro iis qui & ipsi speciali nota digni fuissent. Præterea exprimitur de expectativis concessis Universitatibus, Senatibus & aliis singularibus Personis. Ergò Concilium expressisset etiam Imperatores, si voluisset. Referendum tamen Sanctissimo D. N. Gregor. XIII. qui probavit sententiam Congregationis & jussit fieri declarationem per litteras Congregationis & ultra rationes ponderatas à Congregat. addidit Sanctitas sua quod meminit tempore Concilii quandò formabatur *d. c.* 19. aliquos voluisse addi & primarias preces Imperatori concessas sed communior sententia Patrum fuit ut tolleretur earum mentio. Sicque non comprehenduntur *d. cap.* 19.

Tertiò nota, præbendas vacantes per Prælatum vel Capi- 11 tulum posse promitti, ut hic probatur à contrario sensu in illis verbis, antequam vacent, secundum Joan. Andr. *num.* 3. collect. *numer.* 4. Henric. Boich. *col.* 3. *in princ. vers. Numquid possunt promitti*, Butr. *num.* 6. Cardin. *numer.* 9. Anchar. *num.* 8. Abb. *num.* 2. & Joan. de Anan. *num.* 6. Qui tamen omnes affirmant ex promissione hujusmodi non usque adeò beneficium affici, ut annulletur collatio alteri facta ad instar sponsaliorum de futuro quæ non irritant Matrimonium cum alia initum, *cap. Sicut & cap. Si inter, infra de Sponsal.* Sic etiam votum simplex non ditimit votum secundum solemne, *cap. Qui post votum de regular.* 12 *lib.* 6. Facit textus à contrario *in cap. Si tibi absenti de præbend. eod. lib.* An autem ex vi promissionis ad aliquid possit agi & ad quid, dic ut notatur *in cap.* 2. *infra eodem lib.* 6.

Quartò nota ibi, *ne desiderare*, non esse licitum cuiquam sperare mortem proximi sui, quem diligere debet sicut seip- 13 sum, Matth. 22. Lucæ 10. *cap. unic.* cum sua gloss. *in ver. Caput, supra de sacr. unct.* Cardin. *hic in* 3. *notab.* & Anchar. *num.* 9. Propterea enim expectativæ sunt prohibitæ, quia ingerunt votum mortis alienæ concordat *cap.* 3. *& cap. Ne captandæ, infra eod. lib.* 6. *l. de fideicommisso, cod. de transact.* Sunt enim hujusmodi pactiones plenæ tristissimi & 14 periculosi eventus, dicit textus *in l. fin. cod. de pact.* & ideò quantò superior est sanctior, tantò facilius debet abstinere à promissionibus vacaturorum beneficiorum ut formaliter inquit Abb. *hic num.* 3. non tamen id efficiunt causaliter, sed occasionaliter ; & ideò Papa potest super hoc dispen- 15 sare, ut notat Joan. And. *in cap. Proposuit, num.* 3. *in ver. Vacaturæ, infr. eod.*

16 Quintò nota ibi, *in ipsis etiam legibus Gentilium.* Sacros Canones non dedignari leges gentilium imitari, nam Canonum statuta Principum constitutionibus adjuvantur *cap.* 1. *infr. de nov. oper. nunc.* quasi sint ancillæ Canonum, ut ibi explicat Joan. Andr. *num* 2. *in ver. Adjuvantur* & de libris gentilium & paganorum vide bonam glossam *in cap. Porus, in ver. De qua Virgilius, infr. de verb. signific.* Sed quæres ubi sunt ejusmodi leges gentilium improbantes pactum de futura successione ? Joan. & Tancred. inducunt *l. Ex eo instrumento, cod. de inutil. stipul. & l. fin. cod. de pact.* Sed non benè, quia leges illæ sunt Christianorum Imperatorum. Sclvit Host. *hic num.* 1. Quòd pro Gentilibus hic intelligantur laici gentiliter viventes. Sed meliùs infrà in verb. *Gentiles*, dicit hoc esse inhibitum etiam in legibus digestorum ut *l. Nominem, ff. de acquir. hæred. l. Quidam*, §. *unic. ff. de donat. l.* 2. *in fin. ff.* in aliis *de his quib. ut indig.* & compluribus per eum allegatis. Quod etiam innuitur in *d. l. fin. cod. de pact.* ibi, *secundum veteres itaque regulas* & sequitur Joan. Andr. *nu.* 12. & Cardin. *num.* 4.

17 Sextò nota ex parte textûs, expectationem futuræ successionis in beneficiis Ecclesiasticis esse, contra omnia jura, ut probat hic contextus Concilii Lateranensis, ponderando singulas illas partes. Quòd sit contra Jus Divinum, insinuant verba illa *& Divini plenum animadversione Judicii* ; nisi enim Legi Divinæ adversaretur, utique Divina ultione non puniretur, *cap. Qui peccat* 23. *q.* 4. Quòd sit 18 contra Jus naturale, colligitur ex textu, tum quia dicit hoc turpe esse, id est contra bonos mores, ut lege *ex eo, cod. de inutil. stipulat.* tum quia subnectit rationem illam, ne quis desiderare mortem proximi videatur (id est præsumatur secundum Host. & Joannem Andream) in cujus locum & beneficium se crediderit successurum ; atque ita expectatio futuræ successionis ansam præbet captandi mortem proximi sui, quod repugnat principiis naturæ, Math. 22. Luc. 10. undè Collectar. *in c. Accepimus, n.* 1. vers. *sed dicendum suprà de pact.* dicit hanc 19 rationem naturalem esse & pro bono publico inductam ; & publica utilitas prætextu privilegii vacillare non debet, lege 2. *cod. de privil. scholar. lib.* 12. Et propterea quamvis Papa possit conferre in genere beneficia vacatura, ut *c. Tibi qui de rejcr. lib.* 6. *& c. Is cui de præb. eodem lib.* In specie tamen & ad instantiam certæ personæ conferre non debet, ut hic per eum quem refert & sequitur 20 Bellam, ibidem *in* 4. *q. n.* 4. Et quamvis possit reservare illius contemplatione, hoc tamen fieri debet eo ignorante, ne detur occasio &c. Et ita observat Curia secundum eos. Quòd sit contra Jus Gentium, satis innuunt illa verba *quam ipsi etiam Gentiles condemnare curarunt*, lege 1. §. *Jus Gentium, ff. de Jur. natur.* Similiter quòd sit contra Jus civile, demonstrat littera hic. *In ipsis etiam Legibus Gentilium inveniatur inhibitum* & patet ex Legibus suprà citatis in præced. notab. *n.* 16. Demùm quòd sit contra Canones & Decreta Generalium Conciliorum, patet apertissimè ex hac Constitutione Concilii Lateranensis & *c. Dilectus, il primò, suprà de præb. hic vacaturam executare præbendam Lateranen. Concilio non sit dubium obviare & c. Detestanda de concess. præb. lib.* 6. ex Concilio Trid. *d. c.* 19. *sess.* 24. *& c.* 7. *in princ. sess.* 25. *& cap. Accepimus, suprà de pact.* ubi futura successio in beneficiis Ecclesiasticis dicitur iniqua, detestabilis & Sacris Canonibus inimica cum concord. de quibus hic per glossam in verbo *Canonibus.*

Septimò nota ex secunda parte textûs dictionem *diù*, 21 quandòque connotare tempus sex mensium, ut patet hic secundum Joannem Andream *n.* 6. qui remittit *ad c. fin. infrà de fidejuss.* Anchar. *n.* 12. Imol. *n.* 4. & Joan. de Anan. *n.* 16. Quandòque denotat tempus quadraginta dierum secundum stilum Curiæ, ut per Joannem Andream *in cap. ex parte Abbatissæ, infrà de privil.* & Gemin. *cons.* 78. *incip. Formantur sub n.* 5. vers. *Nec obstat si dicatur.* Quandòque *diù* dicitur tempus decem vel viginti annorum, ut notat glossa in lege 2. in verbo *diù cod. de acquir. possess.* & Bart. in lege 1. §. *Denique n.* 2. *ff. de aqu. pluv. arcen.* alibi dicitur arbitrio Judicis, ut notatur in lege *Lucius, ff. Mand.* & in lege *si pro eo, cod. eod.* & per Menoch. *de arbitrar. Judic. in addit. ad lib.* 2. *cas.* 231. *n.* 40. vide remissiones Petri Brix. *in suo Repert.* in verbo *diù.*

Octavò nota hic *personis*, Officia & beneficia Ecclesiastica 22 esse conferenda personis quæ dignè valeant administrare, ut hic in littera. Est autem persona rationalis naturæ individua substantia, ut definit Boëtius relatus à Divo Thoma *in* 1. *sent. dist.* 25. *art.* 1. vel rationalis creaturæ individua essentia, secundum Joannem Andream hic *n.* 7 ad quod non advertit ille Episcopus Brixiensis qui amico ab 23 eo petenti Ecclesiam vacantem pro filio suo nondùm nato, respondit : habeat illam, sit masculus vel fœmina, ut ita refert Joannes Andreas se audivisse à Joanne ipsius Episcopi successore. Conferens tamen indigno non incidit in pœnam, *cap. cùm in cunctis de elect.* quia pœna illa locum habet in eligente ; non autem in conferente, ut notat Butr. *in cap. de multa* per illum textum *n.* 3. *suprà de præb.* & hic etiam Imol. *n.* 4. In hoc tamen vide Abbatem in prædicta Decretali *cùm in cunctis*, §. *fin. num. quarto.*

Non nota ibi, *infra sex menses.* Ordinarios Collatores 24 habere semestre tempus ad conferendum beneficia ad ipsorum collationem spectantia, quo elapso pro illa vice conferendi protestate privantur, ut hic est casus secundum omnes, & notant Butr. *in* 2. *notab.* Anchar. *num.* 13. Imol. *num.* 3. Abb. *num.* 4. & Joan. de Anan. *num.* 18. Hoc autem tempus incipit currere non à die monitionis, ut voluit Hugo, 25 quæ non requiritur, cùm dies interpellet pro homine, *cap. Potuit de locat.* Neque à die vacationis beneficii, ut quidam putarunt, sed à die scientiæ, ut *cap. Quia diversitatem in fin. infra eod.* & tenet hic gloss. *Infra sex menses.* Innoc. *in eodem ver.* Host. *num.* 2. Butr. *num.* 13. Anchar. *num.* 17. & alii communiter Abb. *in cap. Ex parte num.* 13. *infra eod. & in cap. fin. num.* 7. *de Jure Patr.* Rota *decis.* 6. *de Jure Patr. in novis.* Ideòque impetrans beneficium tamquam devolutum probare debet notitiam vacationis illius ad quem collatio pertineret, alioquin gratia non censetur justificata, ut resolvit Rota coram Cardin. Seraph. *decis.* 1270. 26 *num.* 1. Elapso autem semestri etiamsi superior jure devoluto nondum contulerit, non licet moram purgare argum *c. Licet & cap. Litteras, de supp. neglig. Prælator.* secundum Innoc. *in eodem verb. Sex menses, vers. Nos autem dicimus*, Host. *num.* 3. & Joan. Andr. *num.* 14. Butr. *num.* 15. Anchar. *num.* 18. Imol. *numer.* 12. & Abb. *numer.* 11. ubi reddit rationem quia per lapsum hujus temporis in continenti

DE CONCESSIONE PRÆBENDÆ

Innocentius III. P. Sanctæ Mariæ in via lata Diacono Card. Apostolicæ Sedis Legato.

CAPUT V.

QUia diversitatem corporum, diversitas sæpè sequitur animorum, & infrà. Conquerebatur inter cætera Eboracen. Archiepiscopus, quòd cùm ad eum in Ecclesia Eboracen. & aliis suis Ecclesiis collatio pertineat præbendarum, tempore suspensionis ipsius, & post modum etiam, quidam præter ejus autoritatem se intruserunt in ipsas, & infrà. Mandamus, quatenus eos, qui præbendas vel dignitates Ecclesiæ Eboracen: vel aliarum ad donationem ejus spectantes, præter autoritatem acceperunt ipsius, ad eas resignandas monitione præmissa communicationis sententiam & subtractionem aliorum beneficiorum, nonobstante confirmatione à Sede Apostolica obtenta sub forma communi, quæ confirmat beneficia & præbendas, sicut justè & pacificè possidentur, appellatione remota compellas, nisi fortè aliqui ea vel ex speciali mandato Apostolicæ Sedis, vel autoritate Lateran. Concilii ab Eboracen. Capitulo sint adepti, sic tamen, ut tempus suspensionis in sex mensibus nullatenus computetur: cùm illa Lateranen. Concilii constitutio contra negligentes tantùm fuerit promulgata; & tum si voluerit, non voluerit Archiepiscopus ipse in conferendis præbendis uti propria potestate, à qua etsi fuerit sua culpa suspensus, non tamen ad ipsum Capitulum ex illa culpa præbendarum erat donatio devoluta, sed ad illum tempore suspensionis illius præbendarum donatio pertinebat, qui propter ejus desidiam & negligentiam, poterat præbendas donare Tempus etiam quoad Apostolicam Sedem accessit & apud illam permansit, vel recessit ab illa, infrà sex menses, nullatenus computetur. Semestre autem tempus, non à tempore vacationis præbendarum, sed notitiæ ipsius potiùs volumus computari.

SUMMARIUM.

1 *Semestre ad eligendum seu conferendum à Jure præfixum non currit legitimè impedito & n. 7.*
2 *Nec incipit currere nisi à die notitiæ vacationis & n. 9.*
3 *Quot capita, tot sententiæ.*
4 *Diversitatem corporum diversitas sæpè sequitur animorum.*
5 *Arguitur quandoque de extrinsecis ad intrinseca.*
6 *Intrusus propriè quis dicatur*
7 *Impedimenti tempus non computatur à semestri dato, ad conferendum, sive impedimentum sit Juris sive facti.*
8 *Impeditus justè non potest dici negligens.*
10 *Ignorantia excludit negligentiam.*
11 *Suspenso non currit tempus ad conferendum, nisi sit negligens in petenda absolutione.*
12 *Tempus currit etiam ignoranti, si præfixum sit non in odium negligentiæ; sed in favorem alterius.*
13 *Prælato suspenso jus conferendi non devolvitur ad Capitulum nec ad Archiepiscopum; sed ad Papam & n. 23.*
14 *Papa potest præbendas conferre, etiam non data negligentiâ inferioris collatoris.*
15 *Collatio si sit simultanea inter Episcopum & Capitulum, Episcopo suspenso jus conferendi ad Capitulum devolvitur.*
16 *Prælato excommunicato vel suspenso, an jurisdictio devolvatur ad Capitulum, ita ut sit locus electioni Vicarii Capitularis & n. seqq. usque in finem.*
17 *Sedes vacat interpretativè, si Prælatus sit excommunicatus vel suspensus.*
18 *Aut sit inutilis ad agendum de jure & n. 31. Declaratur n. 20. & 23.*
19 *Viduata dicitur Ecclesia habens Prælatum inutilem.*
21 *Prælatus excommunicatus vel suspensus pro mortuo reputatur.*
22 *Donatio causâ mortis confirmatur morte civili sicut naturali.*
23 *Actus fictus non debet esse majoris potentiæ quàm actus naturalis & verus.*
24 *Episcopo notoriè hæretico facultas concedendi dimissorias pertinet ad Capitulum & n. 34.*
25 *Episcopo excommunicato vel suspenso, nec ejus Officialis nec alius potest jus reddere nisi Papa.*
26 *Suffraganei excommunicati jurisdictio non devolvitur ad Metropolitanum.*
27 *Argumentum à speciali validum est in Jure.*
28 *Episcopo à paganis vel schismaticis capto, Sedes quasi vacat & jurisdictio tributur Capitulo & n. seqq.*
29 *Mors civilis non æquiparatur naturali, nisi in casibus à Jure expressis.*
30 *Prælato ab hostibus capto jurisdictio jure proprio pertinet ad Papam.*
32 *Prælato inhabili datur coadjutor, nec jurisdictio transit in Capitulum.*
33 *Sede vacante interpretativè ob suspensionem Prælati, œconomus non potest convenire nec conveniri.*

1 QUia *diversitatem.* Semestre ad eligendum seu conferendum à Jure præfixum non currit legitimè impedito. Hoc dicit Abbas Antiq. Joannes Andreas, Butr.
2 Card. Anchar. Imol. & Joannes de Anan. nec incipit currere nisi à die notitiæ vacationis, Abb. Sicul. & Guidopapa Dividitur in duas partes principales. In prima Archiepiscopi querela. In secunda causa commissio hic *mandamus*: secunda subdividitur; nam primò ponit mandatum & solvit obstaculum. Secundò duos casus excipit hic, *nisi*; & secundum casum tripliciter exponit hic, *sic tamen.* Abbas Siculus adjiciens omnes divisiones esse notandas, quia multùm conferunt ad declarationem textûs; nec fruttrà sunt adinventæ.

Nota primò ex principio litteræ illud vulgatum: *Quot*
3 *capita tot sententiæ*, de quo plenius in glossa; erant enim diversæ opiniones, an Archiepiscopo ex sua culpa suspenso curreret semestre tempus ad conferendum & ad quem devolveretur collatio præbendarum, an ad Capitulum vel ad proximum Superiorem; quia diversitatem corporum diver-
4 sitas sæpè sequitur animorum, ut observant Abbas Antiq. *n.* 1. Abbas Siculus & Joannes de Anan. *in* 1. *notab.* nam de ex-
5 trinsecis quandòque arguimus ad intrinseca; & ad hoc sæpè allegatur hoc caput, ut per Antonium de Butrio, *numero primo.*

Secundò nota intrusum propriè dici, qui præter autoritatem Superioris ad quem pertinet collatio, beneficium est
6 ingressus, ut patet in textu hic: *Præter ejus autoritatem se intruserunt*, concordat *cap. ex frequentibus de institut. & cap. cùm venissent de in integr. restitut.* & hic notant Butr. *n.* 4. dicens de hoc esse hic textum apertum, Imol. *n.* 1. & Abb. *in* 2. *notab.* dixi *in cap. cùm jam dudùm, numero tertio de præbenda & in cap. nisi cùm pridem, à numero vigesimo sexto de renunc.* ubi latè de intrusis & quatuor illorum speciebus.

7 Tertiò nota, in tempore sex mensium dato Episcopis ad conferendum, non computari tempus quo justè sunt impediti, sive impedimentum sit juris sive facti. De impedimento juris exemplificat textus hic, *tempus suspensionis in sex mensibus nullatenùs computetur.* De impedimento facti exemplificat hic, *Tempus etiam quoad Apostolicam Sedem accessit & apud illum permansit vel recessit ab illa* & notant Butr. *n.* 7. Imol. *n.* 4. & Abb. *n.* 3. & signa rationem in textu expressam, quia Lateranensis Concilii Constitutio contra
8 negligentes tantùm fuit promulgata, ut *in cap. Nulla supra eodem.* Justè autem impeditus non potest dici negligens, & ideò tempus ei non currit, ut hic & in lege 1. §. ultimo, *cod. de ann. except.* & in lege *In rebus, cod. de jure dot.* & hic notat glossa in verbo *suspensionis*, Joannes Andreas, Card. Anchar. & omnes in summario textûs, Butr. Imol. & Abbas *in locis proximè citatis.* Undè etiam fit, ut tempus sex mensium ad conferendum non currat à tempore vacationis
9 beneficii; sed à die habitæ notitiæ ipsius vacationis, ut hic est casus; & tenuit Rota *dec.* 323. *n.* 2. *part.* 2. *recent.* & apud Card. Seraph. *dec.* 702. *n.* 1. ubi etiam habes quo
10 modo prædicti sex menses sint computandi, de quo in glossa *in cap. Quam sit* in verbo *menses de elect. lib.* 6. ratio est, quia datâ ignorantiâ, excluditur negligentia; & is qui nescit potestatem experiendi non habet, lege *annus in fine, ff. de calumniat.* lege *cùm sex menses, ff. de Ædil. Edict. cap. Biduum* 2. *q.* 6. secùs si scivisset; quia imputaretur ei, ut hic in glossa ultima; nam etiam Romæ & in via posset beneficia conferre, ut inquit Innoc. *n.* 5.

11 Ex quo infertur, ut si Archiepiscopus fuisset negligens in petenda absolutione, tunc benè tempus ei curreret, argum. *cap. Quoniam* 100. *dist. cap. Si autem de rescript* lege *Quoniam potest, ff. de re judic.* lege *non omnia, ff. de minor.* secundum glossam finalem hic Innoc. *n.* 4. vers. *si enim esset in mora.* Host. *n.* 6. vers. *aliàs enim.* Joan. Andr. *n.* 7. vers. *secùs si potuisset*; & alios communiter. Et est simile in lege *Qui potest facere, ff. de reg. Juris* & in lege *Non omnes*, §. *Qui captus, ff. de re milit.* Hoc autem casu Archiepiscopus licèt fuerit in culpa, non tamen fuit in mora petendi absolutionem, ex quo protinùs ad Curiam se contulit, ut patet in textu hic *ad Apostolicam Sedem accessit* & in integra relata ab Antonio Augustino *in* 3. *Collect. Decret. lib.* 3. *titulo* 8. *cap.* 2. & hic observat Innocentius *dicto numero quarto.*

Ex his rectè deducit Abbas hic *n.* 3. ut si tempus esset præfixum, non in odium negligentiæ; sed in favorem al-
12 terius, tunc tempus curreret etiam ignoranti, de quo est textus in lege *genere, ff. de his qui not. infam.* quod latiùs profequere, ut per eum.

13 Ultimò nota hic: *non tamen ad ipsum Capitulum*, Prælato suspenso ab Officio & Jurisdictione secundum Laurentium & Joannem, vel in specie à potestate conferendi beneficia secundum Abb. Antiq. hic *n.* 1. in verbo *culpa*, jus conferendi non devolvi ad Capitulum nec ad Archiepiscopum; sed ad Papam qui potest præbendas conferre, etiam non
14 datâ negligentiâ inferioris collatoris, ut in textu hic; *sed ad illum qui præter ejus desidiam & negligentiam poterat præbendas donare ad cap.* 1. cùm hic notat *de suppl. neglig. Prælat. lib.* 6. & hic notant glos. in verbo *Præter.* Innoc. *n.* 4. in verbo *ad illum & infrà*, vers. *Melius videtur.* Abb. Antiq. *in fine.* Host. *n.* 8. in verbo *sed ad illum* & in verbo
15 *donare*, Joannes Andreas *numero* 6. in verbo *sed ad illum* & in verbo *poterat.* Abbas Siculus *num.* 4. & 5. & reliqui omnes.

Hoc tamen limita notabiliter, nisi collatio inter Episcopum & Capitulum sit simultanea, quia tunc suspenso vel excommunicato Episcopo, jus conferendi ad Capitulum devolvitur, ut hic firmat Innoc. *n.* 3. Host. *eod. num.* in verbo *Computetur* & Abb. *d. n.* 4. hodiè hoc est expressum *in c. unic. ne Sede vacante lib.* 6. ubi glossa 1. dicit illam Decretalem emanasse ad declarationem eorum quæ hic notant Goffred. in hoc & Host.

Hinc sumpta occasione Quæro, An Prælato excommunicato, vel suspenso jurisdictio ad Capitulum devolvatur, 16
adeò ut sit locus electioni Vicarii Capitularis.

Emersit nuper hæc quæstio in casu Archipresbiteri Altamuræ, qui ab Episcopo Gravinæ declaratus fuit excommunicatus, eò quòd ipsius jurisdictionem turbaverit. Et cùm propterea Capitulum contenderet jurisdictionem ad se devolutam, & esse locum electioni Vicarii Capitularis, juxta consuetudinem illius Ecclesiæ, re ad Sac. Congreg. Episcoporum, & regularium delata, consultus fui quid mihi juris esse videretur.

Pro Capitulo allegabatur Host. *in Summ. tit. Ne sede vac.* 17
§. *Quot modis dicatur sedes vacare*, *n.* 2. ubi ait sedem vacare duobus modis, scilicet verè, ut *in tit. Ne sede vacant.* & interpretativè, ut quia Prælatus est hæreticus, ex- 18
communicatus vel suspensus per hoc *cap. & per cap.* 1. *de Paroch.* & ibi notat gloss. *ult. de præscript. & cap. Quia diligentia de elect.* vacat enim si Prælatus inutilis sit ad agendum de jure, *l.* 1. §. *pen.* ibi, *non esse autorem, vel judicum, tunc quoque intelligimus, cùm is absit, aut valetudine impediatur, aut inhabilis sit ad agendum, ff. Quod cujusque univers. nomin.* Undè dicitur Ecclesia judicata, quæ 19
licet Prælatum habeat, tamen inutilem perhibetur habere, ut *cap. Inter corporalia*, §. *Sed neque, de translatione Episcop.* sic malus Sacerdos non dicitur Sacerdos, *cap. multi* 41. *dist.* nec malus Episcopus dicitur Episcopus, *cap. Non omnes*, 2. *quæst.* 7. & quamvis hoc casu secundum Host. ensem 20
non habeat locum dict. titul. *Ne Sede vacante*, utcumque tamen verè vacat sedes, vel interpretativè, scilicet de jure, delicto Prælati exigente; vel de facto, dummodò ejusdem negligentiæ imputari possit, ille titulus locum habet, argum. *c. Scisciatus, de rescript.* ita Hostiens. quem verè ad calamum refert & sequitur Joan. Franciscus Pavinus *in tract. de offic. & potest. c. Sede vac. Prælud.* 7. *& ultim. num.* 13. *vers.* 2. *Si Prælatus, tract. tom.* 13. *part.* 2. *fol.* 413. sub- 21
dens hoc etiam tinere Zenzelinum in Clem. *fin. de procurat.* Quemadmodum ergò cùm sedes vacat verè, jurisdictio devolvitur ad capitulum, ut *cap. His quæ, & c. Cum olim, de major. & obedient.* ita & cùm vacat interpretativè, scilicet Prælato excommunicato, vel suspenso, quia mortuus reputatur, *c. Facilius*, §. *Hoc idem probatur, de pœnit.* 1. *c. Visis*, 16. *qu.* 2. glos. in dict. *c. Inter corporalia*, §. *Sed neque, in verb. Inutilem, de translat. Episcop.* Host. in *c. Per venerabilem*, *n.* 35. *qui fil. sint legitim.* Ad quod vide bonam glossam in *c. Si Episcopus, in verb. Sed Capitulum de supplend. negligent. Prælat. lib.* 6. ubi ait; Et sic nota quòd sicut Capitulum, cùm vacat Ecclesia, supplet vicem Episcopi in jurisdictione, ut *cap. Ecclesiæ, eodem tit. & lib. & c.* 1. *de major. & obedient. lib.* 6. Sic & cùm quasi vacat: allegat simile in *l. Res uxoris, C. de donat. inter vir. & uxor.* ubi donatio causa mortis confirmatur morte civili sicut naturali, & in *l. ult. C. de Cler.*

Non obstat, quòd Prælato suspenso ad Capitulum non 23
devolvatur jus conferendi beneficia, ut hic est expressum. Quoniam responderi potest hoc ideò contingere, quia etiam quando sedes vacat verè, puta per mortem Prælati, tamen jus conferendi in Capitulum non transit, ut est text. in *cap. Illa, ne sed. vac.* per rationem gloss. in dict. *cap. Cum olim, in verb. Capitulo, circa fin. de major & obed.* Undè nihil mirum si nec transeat cum sedes vacat interpretativè, quia actus fictus non debet esse majoris potentiæ, quàm actus naturalis & verus, ut inquit Bald. in *l.* 4. *n.* 2. *C. ad Senat. Conjult. Vellejan.* Nec usquam reperitur jure sancitum, ut Capitulum suppleat vices Prælati in collatione beneficiorum, nisi quando Prælatus est negligens in conferendo infra semestre tempus, ut hic & in *c. Nulla supra eod.* & ideò licet jus conferendi præbendas sit actus jurisdictionis, tamen ex eo non infertur ad jurisdictionem in genere, quæ transit in Capitulum sede vacante, ut notat gloss. *fin. in verb. Legitimam, de supplen. neglig. Prælat.* dicens, non esse bonam consequentiam, Quis habet administrationem legitimam, ergò
beneficia confert: Et hanc sententiam in termini Episcopi 24
hæretici olim probavit Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum. Nam proposito dubio, An Episcopo existente hæretico, facultas concedendi dimissorias juxta *cap.* 10. *sess.* 7. pertineat ad Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, die 14. Januarii 1588. Sacra Congregatio censuit ad Capitulum pertinere, si Episcopus sit notorie hæreticus. 25

Sed his non obstantibus respondi, Prælato excommunicato, vel suspenso jurisdictionem non devolvi ad Capitulum,

nec esse locum electioni Vicarii Capitularis, sed Papam esse adeundum, ut provideat.

Primò, enim expresse hoc voluit Host. in *c.* 1. *n.* 8. *de offic. Vicar. lib.* 6. dicens Episcopo excommunicato nec ejus Officialem, nec alium posse jus reddere, nisi Papam. Idem tenuit glos. ibi *in ver. ipsius*, ubi ait, Si Episcopus est excommunicatus, nec ipse, nec ipsius Officialis, cùm eorum idem sit consistorium, de causis cognoscent. Quid ergò tunc fiet? Adeatur Papa ut provideat. Idem Jo. Monach. *nu.* 5. ibi: Sed pone, Episcopus est excommunicatus, dic quòd nullus cognoscit præter Papam, qui hoc casu habet providere.

26 Secundò, hoc probat text. quem præcitati Autores allegant in *c. Romana: de supplen. neglig. Præl. lib.* 6. ubi decidit jurisdictionem suffraganei excommunicati ad Metropolitanum non devolvi, & redditur ratio, cùm id non inveniatur à jure concessum, & consequenter conditor Canonis censetur eam facultatem sibi retinuisse per regulam *c. Nuper, infrà de sent. excommunic.* Item si jurisdictio Prælati suspensi devoluta esset ad Capitulum, Papa non reddidisset eam rationem, quod jurisdictio non inveniatur Metropolitano à jure concessa; sed potiùs reddidisset aliam, nempè quod jurisdictio inveniatur à jure concessa alteri, scilicet Capitulo, cui jus suum non potest Metropolitanus auferre, ut dicit glos. in *cap. fin. in verb. Non potest, de supplen. neglig. Prælat. lib.* 6.

27 Tertiò, Ad idem est text. in *cap. Si Episcopus, de supplen. neglig. Prælat. lib.* 6. inducendo illud per locum à speciali, quod argumentum est validum in jure, ut *c. Præsenti*, §. *Loca, de Præb. eod. lib.* & notab. Abb. in *c. Inter alia, n.* 21. *infra de immunit. Eccles. nam in d. c. Si Episcopus*, jurisdictio Episcopi naturaliter viventis tribuitur Capitulo in speciali casu, quando ipse Episcopus est captus à paganis, vel schismaticis, quasi tunc sedes per mortem Præ-
28 lati vacare censeatur, ut in littera. Ergò regulariter secùs, quia mors civilis vel spiritualis non æquiparantur morti na-
29 turali nisi ubi in jure hoc cautum invenitur. Et hoc pro regula tenendum esse dicit gloss. Joannis in *c. Plaguit, il secundo, in verb. Mortuus*, 16. *qu.* 1. quam in proposito allegat glos. in dict. *c. Si Episcopus, in verb. Sed Capitulum, in fin.* & ita jurisdictionem Prælati superstitis non transire in Capitulum, nisi in casu illo speciali d. *cap. Si Episcopus*, firmat Pau. de Castro *in cons.* 99. *Circa primum n.* 1. *vers. Si igitur, lib.* 2. Et confirmatur, quia jurisdictio ibi non competit Capitulo jure proprio, sed ex indulto provisionali ipsius Papæ, ut patet ibi, *donec per Sedem Apostolicam, cujus interest Ecclesiarum providere necessitatibus, super hoc per ipsum Capitulum quàm citò poterit consulendum, aliud contingeret ordinari*, & ibi notant Joan. And. & omnes in sum-
30 mario text. Ex his enim verbis apparet Ecclesia quasi vacante per captivitatem Prælati administrationem in spiritualibus & temporalibus jure proprio non ad Capitulum, sed ad summum Pontificem pertinere, undè ipse poterit ordinare aliter providendo vel fortè visitatorem dando, ut dicit hic glos. *in verb. Ordinati*. Ergò idem dicendum, cùm sedes vacat interpretativè per ipsius Prælati excommunicationem, vel suspensionem.

31 Quartò, Sedes æquè vacat interpretativè per excommunicationem, vel suspensionem Prælati, ac per ipsius inhabilitatem, ut *cap. inter corporalia*, §. *Sed neque, de translat. Episcop.* & post Host. tradit expresè Joan. Francisc. Pavin. *de offic. & potest. Episcop. sede vac. in ultim prælud. n.* 13. *vers. Secundò, si prælatus est hæreticus excommunicatus, vel suspensus, & vers. Tertio, Si Prælatus est inutilis ad agendum*, & dictum est supra *n.* 17. Sed cùm sedes vacat interpretativè per inhabilitatem Prælati, jurisdictio non devolvitur ad Capitulum, sed Papa providet dando illi coadjutorem, ut *cap.* 1. *cum pluribus capitibus seqq.* 3. *quæst.* 1. *cap. Ex parte, de Cleric. ægrot. & cap. unic., eodem tit. lib.* 6. Ergò nec devolvitur ad Capitulum cùm sedes vacat interpretativè per excommunicationem, vel suspensionem ipsius Prælati.

V°. Huic sententiæ suffragatur diuturna observantia, quæ 32
est optima legum interpres, *l. Si de interpret, ff. de legib. cap. Cum dilectus, de consuet.* Nam Episcopo propter delictum, vel inhabilitatem à jurisdictione suspenso, non administrat Capitulum; sed Sedes Apostolica consuevit constituere Vicarios Apostolicos, sicut nunc reperiuntur constituti in Ecclesia Beneventana, Tranen. Lancianen. Bisinianen. & Alatrina.

Sextò, præcipuè hoc vendicat sibi locum in inferiori Prælato, de quo nunc agitur; Tum quia non conveniunt DD. an jurisdictio Prælati inferioris transeat in Capitulum, sede vacante, de quo articulo egi plenissimè in *cap. His quæ à n.* 36. *usque ad* 49. *de major. & obed.* Tum quia Sac. Congreg. Concilii aliàs consulta an Decretum Concil. in *cap.* 16. *sess.* 24. quòd Capitulum sede vacante, constituere debeat Vicarium, qui saltem in jure Canonico sit Doctor, vel Licentiatus, locum habet etiam in Collegiata defuncto ejus Prælato, qui ordinariam jurisdictionem, & omnia jura Episcopalia habet, Respondit non habere locum.

Non obstat doctrina Host. & Jo. Franc. Pavini supra in contrarium allegata, quia dum dicunt sedem vacare inter- 33
pretativè Prælato existente hæretico, excommunicato, vel suspenso, non loquuntur ad effectum devolutionis jurisdictionis in Capitulum, sed ad effectum, ut sit locus titulo ne, sede vacante aliquid innovetur, ut patet ex verbis eorum supra relatis, *n.* 17. æquitas enim suadet, ut tunc temporis nihil innovetur, cùm sedes quasi vacet; nec œconomus possit convenire, vel conveniri, & sic Ecclesia careat legitimo defensore, ut *cap.* 1. *& per tot. ne sede vac.* & notat glos. *ult. in cap.* 1. *de præscript.* Sed hinc non potest inferri ut jurisdictio ad Capitulum devolvatur; ideoque in casu jurisdictionis ipsemet Host. contrarium tenuit, ut dictum est supra *num.* 25.

Item non obstat gloss. in contrarium allegata in *cap. Si Episcopus, in verb. Sed Capitulum, de suppl. negligent. Prælator.* quia non dicit generaliter Capitulum supplere vices Episcopi, cùm Ecclesia quasi vacat, sed loquitur in terminis illius textûs, id est, cùm Sedes quasi vacat per captivitatem Prælati, In aliis verò casibus in jure non expressis mors civilis non æquiparatur naturali, ut innuit illa gloss. *in fin.* dum se remittit ad glossam Joannis in *c. Plaguit, il secundo*, 16. *q.* 1. & dictum est *supra n.* 29.

Demum non obstat declaratio S. Congregationis Concilii 34
superius relatæ *num.* 24. quia loquitur quando Episcopus est notoriè hæreticus; tunc enim jurisdictio, & jus concedendi dimissorias idcircò spectat ad Capitulum, quia sedes non vacat interpretativè, sed vacat verè, *cap. Ut commiss. de hæret. lib.* 6. & fusè probavimus in *c. Ad abolendam, à n.* 29. *usque ad n.* 44. *eod. titulo.*

DE CONCESSIONE PRÆBENDÆ

Idem Innocentius III. Episcopo, & Magistro P. Canonico Hildesemensi.

CAPUT IX.

Litteras vestras accepimus, quòd cùm pro D. Clerico vobis scripserimus, ut eum de præbenda vacante sancti Viscardi Bremenn. quam dicebat ad donationem nostram fuisse juxta Lateranen. Concilii statuta devolutam, curaretis autoritate Apostolica investire; & infrà. De facto fuit propositum coram nobis; quòd H. Præpositus, quondam simplex Canonicus ejusdem Ecclesiæ, de ipsa in majori Ecclesia in Canonicum est electus, & postmodum anni spatio revoluto, in ipsa Ecclesia sancti Vviscardi in Præpositum est assumptus, priorem præbendam nihilominùs retinens, quam in ipsa Ecclesia tunc habebat; & infrà. Sed Præpositus allegabatècontrà, quòd erat ex consuetudine generali, quòd unus in eadem Ecclesia plures haberet præbendas; & cùm Archiepiscopus Bremenn. Præpositum ipsum, de præpositura in plena sinodo investiret, tam præpositurarn illam, quàm præbendam ei de communi Canonicorum confirmavit assensu; & infrà. Undè cùm vobis dubium videretur, utrum cùm aliquis de una præbenda eligitur ad aliam, statim prior vacare incipiat; an per sententiam debeat adjudicari eidem, an propter confirmationem hujusmodi, quæ superius est expressa, præbenda illa dici debeat non vacare; nos consulere voluistis. Cùm igitur, si ita est, præbenda illa, etsi non de facto, de jure tamen vacare noscatur; Mandamus, quatenus dictum præpositum, ut illam sine difficultate resignet, appellatione remota cogatis; quam cùm de facto vacaverit, Clerico memorato conferre curetis.

SUMMARIUM.

1 *Præbendam habens si in eadem Ecclesia recipiat dignitatem cum præbenda, vel aliam præbendam, vacat prima.*
2 *Beneficii tertii collatio nulla facta ab Ordinario non est nulla de jure communi.*
3 *Nisi omnia beneficia in eadem Ecclesia existant, & n.* 59.
4 *Vel nisi alia sint incompatibilia.*
5 *Et quid ex Concilio Tridentino.*
6 *Beneficiorum pluralitas magis est inhibita in una Ecclesia, quàm in diversis, & n. seqq.*
7 *Consuetudo obtinendi duas præbendas in eadem Ecclesia de jure communi non valet, secus in diversis Ecclesiis, & num.* 10.
8 *Præbendam obtinens in una Ecclesia, non potest ibi aliam obtinere, etiam virtute annexionis, quam habet præbenda ad dignitatem, & n.* 61.
9 *Præbendas duas ut quis habeat in una Ecclesia magis abhorrent Jure, quàm alias duo beneficia curata.*
10 *Præbendæ quot sunt in Ecclesia, tot Canonici debent constitui.*
11 *Genus idem operatur quoad omnia, quod species quoad speciem.*
12 *Consuetudo obtinendi in eadem Ecclesia duas præbendas non valet, etiamsi unam præbendam quis habeat uti principalem, & aliam ut annexam.*
13 *Dispensare non potest Episcopus ad duos Canonicatus, vel duas præbendas in eadem Ecclesia, & n.* 39. *&* 41.
14 *Beneficium quandoque vacat de jure, sed non vacat de facto, & è converso, & n.* 27. *&* 30.
15 *Dominium quandoque difficilius perditur, quàm possessio Regulariter contra.*
16 *Declaratur.*
17 *Beneficium simplex vacat ipso jure per assecutionem alterius similis in eadem Ecclesia, & n.* 65.
18 *Et quid si in diversis Ecclesiis.*
19 *Litteræ impetrationis beneficii vacantis de jure, sed non de facto, valent, etiam non facta mentione possessionis alterius, quæ colorata non est, & n.* 22. *& seqq. & num.* 37.
20 *Executor Apostolicus beneficium conferre non potest, nisi priùs cogat detentorem ad renunciandum de facto, & num.* 23.
24 *Beneficium vacans de jure, licet non de facto, conferri potest ab Ordinario absque eo quòd cogat detentorem ad dimittendum; sed non à delegato, & cur, & num seqq.*
25 *Potestas extraordinaria magis est restringenda, quàm ordinaria.*
26 *Papa non præsumitur per suas litteras velle alicui dare causam litigii.*
27 *Beneficium an vacare debeat de jure, vel de facto, vel utroque modo ad hoc ut conferi possit ab Ordinario, vel Delegato & num. seqq.*
28 *Institus scienter se patiens in beneficium viventis, hoc ipso pellendus est, & nihilominùs deponendus.*
29 *Conferens ignoranter beneficium viventis tenetur ei cui contulit, ad consimile beneficium.*
30 *Beneficium vacans de jure, sed non de facto, an possit conferri priusquam possessor facto ipso renuntiaverit & num. seqq. usque ad num.* 36.
31 *Quid si possessio sit colorata & num.* 34.
32 *Et quid si nullum habeat colorem juris.*
Detentatio pura nec collationem impedit, nec impetrationem, ibidem.
Declaratur num. 36. *vers.* Tene igitur.
33 *Possessio quandò dicatur colorem juris habere & quandò non.*
34 *Possessor si causam habet à Judice, vel ab aliquo colore juris, factum Judicis tuetur Prætor.*